Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Christoph Brockhagius

Christophori Brockhagi Nymphocomvs, Tragicocomœdia, Ecclesiam nutantis mundi adumbrans

Rostochii: Myliander, 1595

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn880291877

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

134

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn880291877/phys_0001

Cg-1341.
C.II.f.3038.
11-13,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn880291877/phys_0002

CHRISTOPHORI BROCKHAGI

NYMPHOCOMVS.

Tragicocomœdia

Ecclesiam nutantis mundi adumbrans.



ROSTOCHII
Ex Officina Stephani Mylianari.
Anno M. D. XCI

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn880291877/phys_0003

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn880291877/phys_0004

Amplissimis, Clariss. & Doctiss. viris,

Dn. HENRICO STALMEISTERO I. V. D.

Dn. IOHANNI DOMANNO I. V. D. Reipub. Stralsundensis Syndico vigilantissimo,

Dominis Mecœnatibus suis Humanissimis.

Salutem à Christo dicit

CHRISTOPHORVS BROCKHAGIVS Beverungensis VVestph.

NOn dubito, viri amplissimi & doctissimi, quin omnes mihi satyricum illud obiecturi sint:

Scribimus indocti doctiq; poëmata passim;
Ita enim *tenet insanabile multos*
Scribendi cacoëthes. Verum enimverò cum rationem instituti mei, susceptique laboris causam acceperint, neminem mihi jure succensere posse arbitror. Scribimus igitur, fateor, sive potius

conqueror, poëmata passim; sed pauca ad vitam, ad veram & beatam, penè nulla. Nos enim per Dei gratiam Christiani, gymnasijs hisce humanis exemti, & in Spiritus sancti Academiam adoptati, nescio, quâ cæcitate aut libidine potius ad hæc Græcanica sapientiæ rudimenta recurrimus, temporariasque terrenæ scientiæ umbras, præ cœlestibus verarum disciplinarum æternisque conciliis, appetimus. Itaq; onerantur passim bibliothecæ, novis scriptoribus, antiquitatis sacræ luminibus obstruitur; neque rerum ac sententiarum modò steriles, sed etiam verborum atque dictionis infelicissimos reperias libros quam plurimos. Aut si qui sunt politiores adeò, si præ vulgo literatorum aliquid sapiunt; illi se nihil sapere, si vulgo & Ecclesiæ, si cum piscatoribus illis, publicanis, & pastoribus Hebræis ac similibus insanæ sapientiæ assertoribus, loquantur, existimant. Nisi enim Græcorum istas physicas, metaphysicas & politicas acroases inusitatâ quâdam subtilitate decantent, nullam sese laudem, aut certè plebejam, mereri verentur.

Habent

Habent ea certè usum suum ac modum. Sed vereor, ne ob ea ipsa vocem Pauli gravissimam serò olim atque ægerrimè audituri simus: Voluit Deus confundere sapientiam mundi; inde maximè, quod Ecclesiæ hac tempestate afflictissimæ ruinam, labore & industriâ suâ, pro viribus, prohibere atque sarcire recusant, imò quòd eam ipsi ut plurimum diruunt, atque labefactant. Ideoque ego libenter sanè pastorali illo, Israëlitarum, ac utinam vero & genuino satis ore, loquor; libenter, inquam, *semipaganus*

Ad sacra vatum carmen affero nostrum.

Non, ut aut ingenij, quod sentio, quàm sit exiguum, vigorem ostentem, aut styli lepore, qui à rustica mea Musa longè est alienus, laudem quæram. Hoc enim mihi conscius sum, & testis mecum est καρδιογνώστης ille, arbiter rerum omnium, quod is non fuerit finis scriptionis meæ; sed ut dormitantem meam fidem & pietatem in hac densissima cæcitatis nocte excitarem, simul atq; stylum, quem graviter jam hebescere sentiebam, nonnihil acuerem. Illud, nisi quis affirmanti facilè

credat, is singulas scenas inspiciat, & libenter, nisi quodam odio aut calumniandi malitiâ planè corruptus sit, acquiescet. Sed nondum tamen hæc mihi caussa fuit, cur fœtum immaturum & quasi abortivum in lucem publicam prodire sinerem. Nam non fui, neque ætati neq; viribus meis quicquam tale concredere ausus, ut dignum aliquid vitâ producerent. Verùm postquam ingenioli mei fructum hunc bonis viris, rerumque gnaris castigandum dedi, illi, nescio, quid meis primitiis plus quàm ego unquam sperare potueram, tribuentes, auctores mihi pleriq; fuerunt ad publicam editionem; quod non facerent, opinor, nisi etiam alios aliquantulum inde commodi depromere posse judicarent. Si igitur finem istum obtinuero, erit quod gaudeam; sin aliter accidet, nisi prodero aliis, mihi certè prosui, à me mei studij fructum accepi, quod tamen pijs non ingratum neq; inutile fore, confido. Vobis verò, viri optimi, studia hæc mea juvenilia dedico atque commendo; partim, ut vobis, à quibus me me illustrari indies magis magisq; atq; adjuvari, non edepol

vulgari

vulgari operâ sentio, animum gratum declarem; partim ut à splendore vestro clarissimo humilitati meæ obscuræ claritatis nonnihil adsciscam, & ignobilitati præsidium parem. Cum enim vos mihi singulariter Deus ostendit, quorum beneficentiâ studia mea adjuvarentur, idcirco non video cur non planè eam agnoscam, diligam, exoscular, atq; si quid fieri possit amplius. Quod nisi faciam, omninò me Jehovah ore Jesaiæ inclamet: Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe heri sui. Quare, quâ possum pietate, Dei Opt. Max. hæc mihi per vos impertita pabula agnosco jure ad hæc præsepia hæc & alia omnia grati animi officia defero. Vestræ humanitatis erit, ut, quemadmodum ea Deus vos merere, & beneficentiâ mihi exprimere voluit, ita etiam eâdem suscipiatis, & ne grati agelli primitias ingrato vultu repudietis. Valete in Christo. Rostochij VII. Idu.. Decē. Anno 1595.

IN TRAGICOCOMOEDIAM

CHRISTOPHORI BROCKHAGI

MARTINVS BRASCHIVS
Poeta Coronatus.

Quotusquisq; Terentij nitorem,
Blandos æstimat Attij lepores
Dignos, quos redimat triente? Flacci
Nunc arguta Chelys, Maroniana
Quem nunc buccina, Tulliiq; candor
Delenit vacuum? Latinitatem
Premit barbaries gradu citato.
Quis non carmina perditæ papyro
Audax illinit inquinatiora
Fœdæ sordibus improbis Suburræ?
Isti Brockhagium rudi catervæ
Sinceræ studium latinitatis,
Lepos ingenij, decor Terentî
Plautiq;, eximit, eximetq; porrò.
Te comœdia, te sales, venusq;,
Ni forsan tabulâ manum revellis,
Aut in primitijs quiescis, olim
Inter Vestphalicos vehent poëtas.

Cernimus

ALIVD.

CErnimus, ut fortes properent ad aratra juvenci;
Cernimus, ut pelagi nauta pererret aquas;
Cernimus, ut rutilum sibi Crœsus colligat aurum;
Ut celer emisso carcere currat equus:
Fervet in humanis humaua potentia rebus,
Quo sacra placantur Numina, friget opus.
Prisca Fides terras comitante sorore reliquit,
Ac Pietas vulgi sub pede pressa jacet,
Religio, Christus proprio quam sanguine fixit,
Displicet, & precio quæ venit empta, placet.
Floret ubiq; dolus: scelerum Babylonia gurges,
Attrahit in casses pectora mille suos.
Pocula fert manibus tacitam condentia fraudem,
Qui premit illa labris, impietate tumet.
Hæc, ut ament, faciunt, hæc corda ferocia gignunt,
Hæc fatuos faciunt, hæc scelus omne patrant.
Quos scelerum fatuos reddit malesana voluptas,
Hos Deus admittit futilitate premi.
Lampade nudatas cœlestis flamma puellas
Deserit, in tenebras pectoris unde ruunt.

Instructis oleo fidei verbiq; liquore
Virginibus Sponsi fœdere Christus adest.
Has fovet amplexu, curasq; repellit edaces,
Nec sibi fidentes deseruisse potest.
Ut segetes arvis; ut sponsæ sponsius adhæret:
Sic bonitas Christi nescit abesse pijs.
Felices, Domini quicunq; tenentur amore,
Cujus amor nullum morte perire sinit!
Christus adest populis preciosâ morte redemptis,
Ne pereant, sponsi pignore Christus adest.
Rebus in adversis animos corroborat ægros,
Donat & æternâ posse salute frui. (stras,
Hoc quia BROCKHAGI numeroso carmine mon-
Grata pijs, Christo carmina grata canis.
Perge, nec absistes laudes extendere Christi,
Dux studij Christus fautor & auctor erit.

IDEM
CHRISTOPHORVS BROCKHAGIVS.

Anagramma.

A CHRISTO HVC SVRGIS, PROBO.

Multi multa canunt, sed pauci carmina Christo,
Quæ dantur Christo carmina, morte carent.

Vanas

Vanos vana juvat contexere carmina, vanis
Præmia vaniloqui vana laboris erunt.
Hauriat ex doctis Ecclesia commoda scriptis,
Nomen honosq; Dei floreat artis ope.
Quod Christi celebras BROCkhagi, carmine amorẽ,
A Christo Huc Surgis non sine laude, Probo.
Te successus alit, voces animumq; regendo
Mentibus instillas utilitatis opes.
Christum fers animo, Christum canis ore rotundo,
Nominis omen habes, nomen in omen eat.
Ut rosa: sic liciti florebit fama laboris,
Digna dabunt docti præmia, grata Deus.
Surge, nec inceptis metas impenito rebus,
A Christo Surgis, quo duce victor eris.

Johannes Melinus Niggen-
jesekensis VVestph.

CHRI-

CHRISTOPHORI BROCKHAGI NYMPHOCOMVS.

DRAMATIS PERSONÆ.

Spes
Theopista
Panaletha
Elpomena
Philoxena
Taponophrona
} Sponsæ prudentes.

Babylonia
Hypsiphile
Dyseris
Philargyra
Misopona
} Sponsæ fatuæ.

Sponsus.
Gabriel. Raphael.
Theotimus, institor,
Simo, senex,
Oenotria, anus.
Mysia, ancilla.

Belial
Asmodæus
Asbolus
Dæmon
Diabolus
} Cacadæmones.

Diapontius Cleomachus, rex.
Parasitus.
Satellites.
Miles,
Mercator.
Monachus.
Syra, anus.
Epidicus, puer.
Onesimus, puer.
Lorarij.

Perio-

PERIOCHA.

Sponsum puellæ amant decem, bonæ ac malæ.
Bonæ Theopista, Panaletha, Philoxena,
Elpomena & Tapeinophrona, facem promtam ha-
Oenotriâ dictante Babylonia (bent.
Fidem fallit; quam Milos, Monachus, & simul
Mercator ductaturi, ductantur dolis.
Sed Rex Diapontius receptus pios necat
Adulter. Belial hos regit. Qui, dum institor
Prandet Theotimus, Lernam venenorum invehit;
Redeunte illo lictâ, ceu pugnæ semine,
Suâ merce, abit. Theotimus Simonem docet.
Hos Syra accusat; quos Papæ miles cremat.
Sed Dyseris, Philargyra & Misopona, se
Babyloniæ adsciscunt. Hypsiphile & has simul
Et alteras exercens, se & eas negligit.
Babyloniæ vi, castæ necem certam timent,
Dum dormitantium omnium istæ ad nuptias
Sponsi accersuntur, illas Orcus abripit.

Spes

SPES,

PROLOGVS.

Salute vos, à Sponso vestro filio
Dei, quotquot ipsum amatis, multâ impertio,
A vobis ipsi fidem ac amores exigo.
Nam, ne me nesciatis, quæ sim, & quid velim:
Matre Experientiâ prognata Spes ego
Sum, mater Confidentiæ, sobolis Dei,
Qui nos genusq; nostrum ideo mortalibus
Adjunxit, ut pietatem & veram in eis fidem
Sibi excitaremus. Quas inter ego nihil
Spes fallo, ut fieri ſre solet, neque fluctuo
Metu, sed fixâ & firmâ homines fide adjuvo.
Nunc, quid vos etiam velim, paucis attendite:
Spes vestra, Spectatores, & fiducia
Omnis, vita immortalis est, ubi cum Dei
Gnato, Sponso sanctissimo vestro, nuptiis
Speratis perfruamini. Ergo credite
Quod hactenus speratis; haud longa est dies,
Ecce apparantur nuptiæ; sponsus suam
Domum ducturus, thalamum adornari imperat.
Vera hæc scio, vera memoro, vera credite.
Et, ne vanis Spem dictitetis ludere,
Respicite, signa, satis conveniunt, noscite:
Fluctus maris, defectus solis, anxia
Pectora mortalium. Quid bella tristia
Memorem? Omnium vos vos mihi testes, proh dolor,
ubicunq;

Ubicunq, terrarum, estis: Gog, Magog, Getæ,
Et Antichristus olim hostes Christi ardui
Factis sunt declarati; nil restat, nisi
Ut ipse Sponsus, rector olympi maximus
Suas sibi adsciscat, mœchas fœdifragas
Releget infelicem in flammam sulphuris.
Hoc ut memineritis adeò; vivam imaginem
Hanc, quam reliquit ipse super hac re, affero
Nymphocomon nostram Tragicocomœdiam,
Quæ tantùm in exornandis sponsis vertitur.
At argumentum, ne erretis, non dixero.
Poëta voluit istâ me à molestiâ
Vacare; nam illud vestri officij credidit,
Ipsi ut teneretis. Sanè qui id nescíet,
Hinc nunquam discet, surdus fabulam audiet.
Verumtamen, ne ullidesimus, neve mali
Suo nos more, culpent; puero, qui mihi
Primus succedet, pauca in verba iá contuli.
Vos verò maximo unum hoc orámus opere,
Benignè ut operam detis ad nostrum gregem.
Certè operæ precium est, & res vestra plurimum
Hic agitur, imò vos ipsi agitis, si placet
Cognoscere, in vitæ hoc theatro, hanc comœdiam.
Nam cum de puellis fabula agitur, nomine
Saltem mutato quivis mihi personam aget,
Sive sit pius, sive impius. Ergo hoc agite nunc,
Curas, & æs alienum, quod vestrâ inopiâ
Incuriâve, divitumq, injuriâ
Crescit, paulùm seponite: Nemo huc flagiter

Adveniet

Adveniet; aut qui advenerit, qui exegerit
Hodiè pecunias modò, hunc Ditis cohors
Ditem exiget. Si quis ergo es, qui fœnore,
Perjurijsq; splendes, cáveas; non sinet
Belial fures magnos auro atq; purpurâ
Ornari, onerabit omnes igni & sulphure.
Huc itaq; attende, quisquis es, curam abijce,
Evigila, ut accipiare ad dias nuptias.
Sed ne hoc præteream: Sponsus vix in publicum
Prodibit, ne hoc incuriæ detis, quasi
Suas negligat. Pol istas, quàm se, plus amat;
Quas præ vita expetivit, quarum gratiâ
Patris sinum deseruit, & homo factus est,
Hominum peccata in sese, onus atrocissimum, in
Crucem imò sustulit, ignominiosissimo
Mortis genere expiavit. Amor quid non facit!
Deum piacularem fieri ob hominis noxiam!
Nihil ergo abesse hunc querere, nihil, te deseri;
Tu modò pius es, neq; sponsum, nec te, desere.
Qui pro te hoste suo mortuus est, is non suam
Sponsam curet? Nec sanè nec piè hoc dicitur.
Hæc habui vobis dicere. Vos nunc relliqua,
Ecquid velint, attendite, atq; operam date,
Ut Spes, Amorq;, Fidesq; in vobis luceant.

ACTVS

ACTVS PRIMI SCENA PRIMA.

THEOPISTA, PANALETHA.

Nihil est æquè miserum & malis obnoxium
Quàm amantis animus. Ita eum certatim dolor,
Damna, atq; ærumnæ unà exercent; ita ipse spe
Metuq; fluctuans vivam, ardentem, facem in
Venis alit, quam flumen nullum exstinxerit.
Verùm hæc utut sunt, sua tamen solatia
Habent, fidem amici, sedatum cupidinem,
Colloquia. At ista maxima, obtrectatio
Malorum, invidia, iniuriæ, vis, mendacia,
Tantam vim habent, ut sæpè etiam divortium
Vel inter concordissimos creent conjuges.
PA. Vera ista prædicas, soror. TH. Vel hæc mihi
Ærumna, (ut &, cur te evocaverim, eloquar,
Et consilium tuum expetam) hæc afflictio
Quæ nos jam agitat, sexcenta testimonia
Hujus rei dictat, postquam dulcissimus
Noster Sponsus diem producit nuptijs,
Quot probra vulgi, quot porro odia cogimur
Perferre! Omnes nos spernunt, maledicta ingerunt:
En istæ Dei sponsæ, rectè Christum expetunt!
Rectè sperant! quas nec quisquam Deum respicit,
Nec; curat, nisi quod dignè cum Christo suo
Omnes cruciant, mactant! Sic, sic, sit omnibus

Superstitiosis! Sed tu Jesu hæc omnia
Vides; tibi corda & renes perspecti patent.
Quis non piorum hæc olim audire coactus est?
Quid non tibi ipsi objectum? Atqui hos omittimus
Soror, vulgus vulgò errat; ista bellua
Variorum capitum varia sentit, nec satis
Deo placeam, si satis impijs. Verùm hoc queror:
Sorores nostræ, familiares, quæ quidem
Jesum unà amant, quàm nulla de caussa studeant
Nobis nocere! Ita laborant, aliæ quidem
Dominandi, aliæ rixandi vagâ libidine,
Hanc torpor, illam avaritia in nos excitat,
Illam aliam invidia armat. Nam, quis Babyloniæ
Jus in vel infimum mortalium dedit?
Quis legem illi ullam, quis sacra ulla subdidit?
Ipsa verò, (propudium,) scortando adultera
Orbis dominatum, clientelamq; principum
Adepta, ne Deo quidem nunc amplius
Concedit, si saltem credit Deum; quem quidem
Re pridem pernegat. Quid enim, quæso, soror,
Indignius nostrâ pietate, quàm quod hæc
Solet affirmare, sibi potestatem unicæ
Rerum humanarum divinarumq; traditam?
Sibi jus verbi Dei mutandi? & quæ ejusmodi
Horrenda? quæ coram audivistis; ex quibus
Effectum, est, ut qui non hæc malint credere,
Mori malint. Quot, quæso, (à lacrymis haud queo
Mihi temperare cogitans) quot vidimus,
Soror, damnatos hinc in flammam protrahi

Indem-

Indemnes? quot bellis mactari? à belluis
Brutis laniari? cum ne à regibus quidem
Nefas prohibitum est: Quoquòversum oculos gentium
Convertimus, Germania natat sanguine
Insonti, Gallia suffocata illo jacet.
Atq; hæc cuncta hostia cæditur Babyloniæ.
Ipsa ebria, lata, sanguine innocentium,
Dat epulas seq; parricidis regibus,
Tyrannis. Hæc nos ubi primùm dissuasimus
Amicè, ab illa pro fanaticis, impijs
Habitæ, sacris, igni & aquâ prohibitæ sumus.
PAN. Quis, non lapis, soror, sine lacrymis audiat,
Quæ memoras, nostra adversa? THE. Et hactenus benè
Reliquæ sorores amicæ nobis erant.
Verùm iste purgatorius ignis facilimè
Ab auro scoriam segregat: Potissimam
Partem sectantur homines; haud requiritur,
Rectenè an pravè agant; vis virtus redditur.
Nam immanitate scelerum illæ deterritæ
Misopona, Dyseris, atq; illa Philargyra,
Primùm nobiscum ei se objcere, dedecus,
Facinus Christi sponsâ indignum reprehendere;
At mox, potentiâ & suppliciorum metu
Deterritæ, magnisq; porro præmijs
Illectæ, nos deserere, caussam pessumam
Asserere, Babyloniæ se in fidem dare,
Vi verum vincere. Hypsiphile quidem omnia
Nobiscum illa odit, damnat, sed tamen nihil minùs
Nos vexat illâ turgidâ sapientiâ:

Cum nos satis aliàs afflictatas clàm, palàm,
Infestat, cruciat, ubi consistimus parùm,
Labefactat; ita divinæ se sapientiæ
Mysterijs immistam nobis objicit,
Doctrinam nostram impùgnat, ea movens, quæ ego
Memorare horresco. Hoc verò constanter negat,
Trinitatis sacrosanctæ in ùna essentia
Tres esse personas æquales; Filiùm
Dei dulcissimum nostrum sponsum negat
Veram hominis induisse carnem, & quæ dein
De humana sanctorum innocentia dictitat:
Quasi haud possit peccare renatus Spiritus
Unde omnium hoc vitiorum pelagus nascitur,
Ut quicquid inter Christianos criminum
Quicquid flagitij oriatur, illud non modò
Vitij pœnam haud vereatur, sed pro Spiritus
Sancti ductu excusetur. Taceo cetera;
Quod illos, quos Deus ipse ad se asportarier
Mandavit, infantes, ab ipso etiam arceat
Baptismatis usu erepto. Heu quàm Satanas suum
Venenum in sanam doctrinam Dei evomit!
Verbo perpetuò oblatrat, doctores pios
Interimit, exigit. Quid multa? Haud est malum
Tam atrox cui non fors Christiana infesta sit.
Nam hæc cuncta, ut secum maximè dissentiant,
Hic tamen, ut nobis noceant, consentiunt,
Atque illud agunt, ut quò nos vertamus, nihil
Relictum siet. PA. Hei mea soror? noli obsecro,
Vulnus perpetuum macerare hinc amplius;

Mitto

Mitte illas. Deus mentem meliorem eis dabit.
Sed quid tibi consilij videtur? quomodo
Mala hæc feremus? cedere anne cœdi, utrum
Consultius putas? TH. Id quidem tecum loqui
Volebam. Mihi pol istanc vitam, quam fidem
Potius deserere constitutum. Sed tuum
Consilium requiro, si fieri unquam queat,
ut positis odiis ac rixis in amicitiam
Christiano homine dignam, redeatur. PAN. Benè soror
Et piè dicis mihi. Sed ut fieri hoc queat,
Conuertere in amicitiam; illud vereor, nihil
Erit, Nam censen' tu Babyloniam de sua
Sententia decedere? TH. Sic puto. PA. Nihil.
Nam qui animum cupiditate malâ devinxerit
Semel, ut pol hæc, nunquam, aut ægrè se exsolverit.
Tum si magistros nactus ad eam rem improbos
Erit, quò non abripitur! imprudens perit.
Et quid non nostræ huic detrimenti, si scelus
Deponat, accedat! terræ imperium malis
Partum artibus, hisce positis, unà ponitur.
Non pote! Deliciæ deinde, regum gratia,
Consuetudo, unà amittitur. Fieri nequit!
Infesti porro hostes, desertam à regibus
Solam, ulciscantur, THE. Heu, quantâ spe decidi!
Immortale odium est! Perge modò. PAN. verbo unico
Complectar: Donec inimicitiæ Semini
Mulieris cum dracone constant, desine
Sperare ab hac pacem. De alijs vix audeo
Secus tibi polliceri. Ergo, hoc nobis erit

Tenendum: Exite ab illa, gens mea, excedite;
Et offirmandum ad finem, ubi vincenti dabit
Sponsus noster coronam. Hoc igitur suadeo:
De illis, nihil nisi crux nobis est; at nos tamen
Hac causâ nihilo segnius, quod nostrum erit,
Pro veritate dimicemus, atq; in id
Unum enitamur, ut de voluntate optima
Sponsi, faces nostras quàm fulgentissimas
Gestemus, & quàm fieri possit maximè,
Mundæ ac nitentes obviam carissimo
Nostro ire possimus. Non ipse deseret
Suas, fidem satis exploratam habemus, ut
Nihil sit, cur causâ honoris ejus omnia
Non amittamus meritò, vel animam denique;
Quando ipse etiam suâ animâ nos servaverit
Amissâ, ne de amore ejus quid ambigam.
Consideremus saltem, quæ nostra antea
Sors fuerit; magnam cognoscemus gratiam
Ei nos debere, si suâ causâ velit
Nos aliqua mala pati, quæ nos jure omnia
Ferimus; sed tanta pertulit ipse injuriâ.
Nemo, aut paucissimi suas hunc ad modum
Amârunt, ut vitâ suâ illas cariùs
Haberent; id quod ille, deliciæ meæ,
Facere haud dubitavit. At nemo repertus est,
Qui pro hoste suo, pro injusto se in necem daret;
Sed Jesus noster, nos mœchas, fœdissimas
Suâ olim vitâ liberavit, reddidit
Saluti, sibi despondit, gloriæ suæ

Hæredes

Hæredes designavit. ô immense Amor,
Quid non tu vales! vincis Deum,
Et nos mortales, querimur à te vinci!
Euge, ô soror, cogita modò: Reginæ suas
Jactant fortunas; nobis sors Dei obtigit,
Nobis thorus Dei. O beatas, omnium
In cœlo & terris nos fortunatissimas!
Dei genus! O quibus nominibus hæc bona
Commendem! Nimiùm, nimiùm, si de nuptijs
Dilatis querimur, sive de hisce injurijs,
Quas patimur, peccamus, soror; ludus & jocus
Hæc sunt, præut dulcissimus noster quæ tulit.
THE. Mi Jesu, ignosce infirmitati, & fac modò
Tibi quod placet; tuæ sumus; tibi gloria,
Qui nos dignas, quæ tibi patiamur, deputas.
O mea soror, quantæ res utilitatis est,
Si acerbitatis virus ex animo usquam
Apud fideles animas evomas? PAN. Ita est.
Nam, nisi re, & factis adjuvent, solatia
Certè & consilia multum adjumenti obtinent.
Deo nos, nostramq; ergo caussam committimus,
Is rectè faciet. Nisi vis aliud, res sacra
Fit in templo, Deum precatum eo. THE. Atq; ego
Idem. Unà ergo imus. PAN. ut placet.

ACTVS I. SCENA II.

BELIAL.

Istæ ad rem sacram eunt, veneficæ, quas nisi
Perdo, peream. Huc evigila ergo, ocius moram abs

Te segrega omnem, curre, hac, illac, inveni,
Cruces tuas ut crucies; armis, ignibus,
Iris, viris, & viribus conare, insiste. Et non malè
Auspicia dum cedunt: Gog, Thubal, & Getæ,
Mesech, mihi acres militant; palmarium
Hoc est mihi: Intestina inter se acerrimè
Committo; unde herclè illud mihi
Primum trophæum erexi, ut proceres ex eis,
Pars vulnerati, ejecti, capti, in carcerem
Abjecti, pars trucidati, quod haud diu est.
Capita horum Babyloniæ arrhaboni principes
Meæ partis misitant, amorem ejus sibi
Illis emunt. Quæ ego omnia sic fortuno, duco gaudeo.
Sed ipsa egreditur, deliciæ meæ, cum anu
Tubâ meâ. Ecce, ut bellè, ut lepidè ingreditur, ut
Caput erigit! Gestio videns. (mihi
Leges dictabit. Accedam, ac operam dabo ei, quæ dat

ACTVS I. SCENA III.

BABYLONIA. OENOTRIA. BELIAL.

SErvus Diapontij Cleomachi abijtn'? OEN. Abijt.
BAB. Epulum apparari strenuò, sicuti jusseram,
Triclinia sterni, argentum exponi in ædibus; id, puto,
dixeras.
OEN. Idipsum, hera beatissima. Et quod hac de re solli-
cita sis
Nihil est; coqui intus sunt probi satis. BA. arbitror.
OEN. Nec mirum, cum omnes tui te ament, observent,
liberaliter

Tibi

Tibi ſerviant, in oculis, auribus animis imis geſtitent.
BE. Sceleſta, ut palpum miſeræ obtrudit. BA. Pol rex Chriſtianiſſimus
Chriſtianè eſt accipiendus; tantam mihi operam dat: meis hoſtibus
Hoſtis, amicis amicus eſt; regem mihi
Rebellem occidit, caput ejus pro victimæ
Hodie mihi donavit. OEN. Memini hæc omnia.
Neq; edepol novi quid fecit; nam, quis ætatem tibi
Non ſerviat tam inſigniter venuſtulæ, beatulæ?
BE. Magiſtra tu mea es. BA. Sic eſt. Nunquam fui,
Etiam quin me omnes obſervarent plurimum. Sed
Rex veniat, agedum oſtende, quas (antequam
Conſcripſti leges, inter me & ſorores, mihi illas perlege.
BE. Nam tu poëtria es prorſus ad eam rem unica.
OEN. Horreſcent omnes, faxo, leges cum audient.
BA. Agè, quæſo, mihi illas translege; etſi iam occupata ſum ſatis,
Tamen velim me hic occupari plurimum. OEN. Audis? BA. audio:
OEN. Babylonia, cœli regina, caſtitatis gloria,
Hæc præcipuè ſorores, atq; hæreticos capita ſcire vult
Doctrinæ cœleſtis: Principio: BE. Aurem admove.
OEN. Quia extra Eccleſiam non eſt ſalus, ſalutem conſequi
Nemo pote', qui non civis eſt ſanctæ & catholicæ Eccleſiæ.
In hanc rempublicam recepti qui iam erunt,
BE. Irrepſerunt. OEN. hæc illos ſcire, hoc ſapere, et hoc
Tenere, volumus: Filia nequam plurimum eſt, quæ plus ſapit.

Quam

Quàm mater. Ergo nisi decreta matris, nisi lac hoc, ei
Quicquam sapiet; sit nautea, etiam si quid Paulus
aut Petrus
Instillet. BA. Heus illud de Petro tolle. OEN. Tollo.
BA. Hoc in locum
Ejus substitue: pennam habes? OEN. Habeo, dic:
BA. Ex epistolis
Enim Pauli nimium veneni hæretici solent sugere.
OEN. Nimis tu me superas sapientiâ, nimiumq; ca-
tula tu es.
BE. Bene hæc. Nam Paulus ipse hæreticus contra Pe-
trum sæpe erat.
OEN. Quod illi mihi verbum Dei deblaterent.
Verbo Dei fidem nullam adhibebunt, nisi
Quam mater sancta Ecclesia illi fecerit.
Hæretica siquidem ea est fides, Verbum Dei
Per se posse esse clarum. BE. Oh! gestio! ut probè!
nisi nox diem
Illustret, nulla sit. OEN. Contrà si fiat, inexpiabile
Peccatum statuo; et quid verbis opus? Veritas non veritas,
Lux, tenebræ, sit, nisi sacrosancta Ecclesia illud sanciat.
Quæ, si virum aliquem dicat esse suem, illicò
Ille abs hominum grege intra haram sese penetret,
Siliquis pastus. BE. Circe hæc non Solis filia,
Sed Noctis, proh, quot asinos sic ex regibus
Fecit: quot miserè onustos clitellis dedit!
OEN. Tantùm de potestate Ecclesiæ, nisi vis addier?
BA. Unum illud: Qui non credit hæc, anathema sit.
BE. At ego non credo. BA. Perge igitur: OEN. Mis-
sam impij Hæreti-

Hæretici tollunt, salutis unicum (cum
Fontem. At scelus nescit sacram scripturam eam probare,
Ait: Inveni Meßiam. Hinc Missam ducimus.
BE. Doctè meum Maosim defendunt. OEN. Quid
hoc? Omnes sciunt:
Jacobus, frater Domini cum divo Basilio scribitur
Missam celebrasse Cæsareæ. BE. At ille erat
Annis trecentis ante hunc natum mortuus.
Sed sic noctem ex die facimus. OEN. Concludimus
Igitur, Missam divinæ Ecclesiæ unicum
Columen, stabiliendam & tenendam firmiter;
Quæ non modò vivis peccatorum crimina
Tollit, sed etiam è purgatorio mortuos
Exemtos in sinum Abrahæ rectà evehit.
BE. Nolim hæc tamen, si vera sint. Sed ego meos ser-
vavero.
OEN. Atq; ut scelestis ad Missam aditus pateret, quàm
Ignem purgatorij restinxerunt: quasi (frigidè
Extra peccatum homo esset, aut quasi unus Christus, ut
ferunt,
Satis suo sacrificio expiasset pœnas omnium
Qui peccant. Profectò, nisi pœnitentiam
Præstent pectatores, justi fieri haud queunt.
Cum verò pœnitentiam de pœnis luendis dicimus,
Pœnæ autem illæ per ignem debent perfici,
Paulo docente, cum ait, igni cujusvis exprobrarier
Opus debere; quod & Johannes autumat,
Igni baptizaturum Christum prædicans.
Meritò hinc baptismus ignis sequitur, purgatorij ignis fa-
cer. BE.

BE. Ut scitè, ut lepidè! vah! ignis urit, ergo conflagrat mare.
OEN. Ergo, ut miseris animulis in flamma hac solatium
Detur, piè mater Catholica aquam sacravit lustricam,
Quibus sepulcra conspergantur; quòd Davides autumans,
Ait: Domine hyssopo me asperge, ut munder. Dein',
Ut sit, quod comedant ac bibant, Missæ his cibatus conve-
Qui tam potens est, ut, si eum gustaverint, (nit,
Mox ex orco in cœlo sint. BE. Non hercle ego sino, ut gustent, mihi
Verò hæc ambrosia est. OEN. Et mortalium jejunia eas juvant.
Ergo jejunabunt, qui vivunt; qui verò famem
Pati nolet, fano se exclusum meminerit;
Aut indulgentiam matris sacrosanctæ sibi ære emet.
Tum cereos, qui animulæ in Tartari tenebris cernere
Possint, eis homines accendent; thusculo
Suffitum facient. Quod si olim peccata sua celaverint
Pontificem sacrum, posteri pro eis confessi, illa omnia
Piabunt. Postremò, qui non hæc crediderit vel fecerit,
Profanus esto, & quid dico? hic anathema sit,
Indignus purgatorio. BE. Et quid dicã? tu tantò dignior.
EA. Scitè pol scripta à te, sunt omnia; pijssima
Tu, atq; optima es meûm; & sic cum es, semper meâ
Communicabo te mensâ. Agè, quid amplius?
OEN. Addone? EA. Nihil, nisi perge quàm brevissimè.
OEN. Ad quartam partem propero: Non malam partem deprecatio
Sanctorum ad hanc rem affert. Isti etenim gemitibus
Æternis

Æternis orant pro mortalibus, proq; hisce mortuis.
Illi itaq;, si orant, rursus orandi sunt, ne causa ulla sit,
Cur hæretici hoc negent, Deo unico tribuentes nescio
Quam gloriam. BE. Et mihi pars debetur, & datur.
OEN. Si sunt ergo sancti, si nostram causſam agunt,
Meritò patronis statuas dedicamus. Atq; hoc similiter
Illi negant hæretici. Sed nos contra: Deus imaginem
Sui ipse fecit, hominem scilicet, cur non imaginem
Suiq; Deiq; ergo & homo faciat? cur item
Non Divis monumenta erigat? ô impios,
Indoctos asinos, concremandum lolium! vel si diabolo
Aras & statuam dedicemus, quis vetet? quis dicat hinc
Ecclesiæ matri: cur tu id facis? BE. Optimam
Anum! hem, tibi precator fuero. Euge, hoc age.
BA. Hoc adde. OEN. Quid? BA. ubi id scriptum est.
OEN. Paulus testis est:
Nam non potest se testa figulo opponere.
BA. Asscribe. OEN. factum. Aliud nihil? BA. Nil.
OEN. Miracula
Qui faciunt, quorum imagines, sæpè lachrymas, risus joca,
Minas edunt, quis non illorum oracula dicta, factaq;
Ambabus ulnis acceptet? Quid? quod quoq; Moses æneam
Serpentem erexerit, prorsus adoraverit?
BE. Fortunatos divos, qui clientem hanc invenere, quæ vicem
Patroni in patronos sustineat. OEN. posteà,
Secundum divos demortuos, illos qui adhuc
In vivis sunt, honore omni dignos volo,
Præsbyteros atq; pontifices: quorum caput ille maximus

Is est

Is est, de quo David scriptum reliquit optimè: (item
Domini est & terra, & omnis plenitudo ejus; quod alibi
Ait: Omnia subjecisti pedibus ejus. Unus omnia
Et Cæsarem & reges, & quidvis dicitur
Sub pedibus suis habere; sol hic unicus est,
Mundi oculus; Cæsar, luna, si placet esto; cæteri duces,
Velut umbra obscuri: at præsbyteri sunt nobiles
Stellæ, dijq; gentium.
BE. Me miserum! istæc me caussa primum perdidit!
Quia plus æquo arrogabam. Deus, quin hos quoq;
Eodem judicio sacrilegos judicas?
OEN. Et hæc de primis relligionis capitibus.
Quibus jejuniorum & cælibatus leges addimus.
Nam præstat sacrificum cum aliena coniuge
Rem habere, quàm osculari uxorem propriam.
BE. Et ego cum aliena soleo, illud mihi est suavius.
OEN. Hoc si non adeò castè, cautè fit tamen.
BA. Pulchrè feciſti propositiones. BE. Meo ex
Cerebro prognatas. OEN. Hæc qui homo secus docet,
Sive angelus adeò anathema sit.
Nam non sunt nugæ, neq; enim mortualia.
BA. Placent profectò leges. Has tu publica. OEN. Sed
scin' ? manu
Tua subscribe. BA. Licet: Datæ sub piscatoris annulo.
Babylonia. Tu signum apprime. BE. Munus id meum
Fuit. BA. Pluscülum moramur hic; amicus meus mox
venerit.
Ne mora ei fiat. Ocius cedò effer speculum mihi,
Et cum ornamentis arculam. OEN. Quid opus est spe-
culo tibi,

Quæ

Quæ tute ſpeculum es ſpeculo maximum BA. At ſuo vide loco
Capillus quisq; ſatis compoſitus eſt? cedò
Igitur ceruſſam. OEN. Quid ceruſſam? BA. Nam quî malas oblinam.
OEN. Novâ picturâ interpolare vis opus lepidiſſimum.
His ætas occultanda eſt; tu per te ſatis
Formoſula es. Cape ſpeculum. BE. Hei, mihi velim
Illud fieri! quod ſuavium ſpeculo dedit.
Sat contemplare; at miſera, faciem pectoris non aſpicis
Fœdiſſimam. BA. Etiam unguentis ungo me? OEN. Minimè illud omnium.
BA. Quapropter? OEN. Quoniam ecaſtor mulier rectè olet, quæ nil olet;
BE. Tacitum hoc volui. Sed nil refert, malè præcipit,
Etſi bona. BA. Cave per te ſteterit quò minus regi meo
Amico placeam: nam ita ingenium eſt muliebre,
Benè cum lauta eſt, terſa eſt, ornata, ficta eſt; infecta eſt tamen.
OEN. Veneris mera eſt oratio. BA. Volo meo placere, cum venerit.
Sed caput illud mei hoſtis, quod mihi rex meus
Dono iam miſit, ut ſui honoris gratiâ (num eſt,
Spectarem, effer quæſo. OEN. mox adero. BE. Hoc virgi-
Alienâ morte ſe oblectare. BA. O dona digna principe!
BE. O dicta digna virgine! BA, Ut torvum os id eſt!
Non amplius convicia mihi faciet. OE. Sine
Pro eis illi os hoc pugno occillem. Hem diſce nunc,
Q[illegible] pericli, matrem diam Eccleſiam contemnere.

BE.

BE. Impunè verberare mortuum licet. OEN. Viue, ergo, vige
Hera, ubi licet, regum utere consuetudine. BA. Tibi obtempero.
At nunquid rectè ornata sum? OEN. Ah obtundis; ut
Quæ Solem vincas decore. BA. Intramus ergo: rex Diapontius
Cleomachus mox advenerit. OEN. ubi vis, non moror.
BA. Hæc rectè instructa est. Nunc regem etiam adeo, quem flagitijs benè
Et scelere flagrantem dedi, incito amplius,
Ut satiatâ libidine ad sua ministeria ardens eat.
Nemo hostium meum evadat, faxo. Et quin profero pedem?

ACTVS II. SCENA I.

ELPOMENA.

CRedo equidem nos pauperculas propessimis
censeri: ita odium mundi habemur: Vel meæ
Me familiares, quas sorores arbitrer,
Fugitant, neq; pluris æstimant, quam nata si
Nunquam sim. Velut Philargyra nostra, quam modò
Indignè me accepit: Erat mihi paululum
Cum ea ratiuncularum, illud mihi ut solveret,
Adij ipsam: volui enim mihi vestem novam
Parare ad nuptias, ne penitus sordida
Amicus ubi me accerseret, procederem.
Hic me advenientem ab ostio longè quidem
Prospexit illa, inclamat; Nilne te dispudet

Limen

Limen mihi conterere mendicabulum?
Quotidiè me cum tuis obtundis nummulis.
Non pol eâ causâ à me nummum plumbeum
Hodie feres; sat erat, talenta si forent.
Sic ait, repagula ostio obdit valida; mihi
Miserum & mirum, taceo, ac abeo illam sic suo
More agere rata, quæ quum hominem ad se accedere
Videt, ne adeat, caussam obijcit; si aliud mihi
Sit, pestem apud se habitare ait, aut aliud malum,
Vel Orci ibi hostiam esse. Auro forsan timet,
Ne quis surripiat illud; quæ pol, si velit,
Auro solum subactum habere possiet.
Sed hæc ad me nihil; esuriat, meum modò
Mihi reddat, qui me vestiam. Ac parùm refert.
Sponsus meus externam speciem non respicit;
Dotem animi veram requirit ille: Dei metum,
Animi pudicitiam, fidem, amorem proximi,
Odium scelerum, famam bonorum concordiam.
His si dotata venio, à dote placeo satis.
Ad meliorem sororem eo Philoxenam,
Ea mihi, si opus esset, vel dimidium mutuum
Daret bonorum. Viso, si tantùm est domi.

ACTVS II. SCENA II.

PHILOXENA, ELPOMENA.

Doleo, diem mihi hunc feriatum abire, cum nondum piè
Quicquam egerim illi, nec vota ulla Deo & sponso meo
(solverim.

ELP. Hanc ipsam video, quam volo. PHI. Ibo ad a-
dem sacram, ut ibi Deum
Precer, deinde pauperibus stipem, quod possum, porrigam.
ELP. Quàm gaudeo, cum hanc sic piè sanam aspicio!
quin colloquor?
PHI. Sed estne mea soror Elpomena, quam video hîc?
ipsa est. ELP. Salva sis
soror.. PHI. Salvam te gaudeo. At, quid tristis es? (dò,
ELP. Egon? nihil. Philargyra indignè me accepit hîc mo-
Quod ego non admodum moror. PHI. Sanè nescio quid
audio,
Sic illam quemvis accipere. Sed quid erat tibi cum
illa rei?
ELP. Vix dicto dignum: Erat mihi de ratiuncula
Jampridem apud illam relliquum non admodum,
Id ut repetere volui, ne quidem domum
Intrò sum admissa; mendicabulum, ut ab suis
Me foribus auferam, proclamat. PHI. Ah scelus!
Itane nostrarum quamquam animatam? ita sunt ani-
mo uno omnes, malum
Nostrum quærunt, quas, quid mihi sæpe fecerint,
Satis non possum proloqui. Neq, nos decet
Famam de alijs spargere; Deus melioribus
Eas moribus imbuat. Sed, hoc, soror, nihil
Te sollicitet, si quid tibi usus est, poscito
A me: mihi Dei virtute atq, parentum meûm
Sat est, à me dabo tibi; ne pumicem istum posthac premas:
Aquæ nil dabit. ELP. Deus tibi, soror, quidvis faxit.
Sed nihil

Nisi mu-

Nisi mutuum, si quid dabis, vel fœnori;
Bonâ fide reddam. PHI. Eja! non sic nos decet,
Christi cultrices. Sed quid ais de nuptijs?
Nihilne conjectaris ubi futuræ sint? Certè ego quidem
Perpetuò audire vocem videor Angeli:
Venite, nuptijs dies elluxit. ELP. Ac ego hoc mihi
Item planè persuadeo; nisi quod ferunt,
Amantes sibi sic somnia semper fingere.
Facem meam, ut potui, apparavi, ne imparata sim,
si vocer.
PHI. Atq; ego, quod potui, feci, & hodie fecero.
Veni intrò, ut, quod opus est, tibi dem, deinde porro mihi
Ab institore oleum parem, & Deum precatum in templum eam.
Sed hem soror! ELP. Quid est? PHI. Quid hominis hoc propè
Dicam? ELP. Tales jam terra natos educat,
Qui ceu fungi, capite se totos contegunt. Hispanus est,
Puto. Has fugere, quàm videre facies mavolo.

ACTVS II. SCENA III.

PARASITVS.

Di belli, quanta bellatularum, quamq; bella hîc copia
At hanc domum ratus sum frugi, virginum (est!
Familiam; Bacchanal, lupanar est, Bacchæ incestissimæ
Hîc habitant. Primùm, ubi abs hero meo munera
Babyloniæ virgini, ut ferebant, attuli;
Ibi tam piè, tam sanctè mecum agere; ast ubi mox
rex, herus

Meus ipse advenit; postquam accubuit, non diu est, cum se illicò
Quoquò vellet, illi dederet; neq; puditum ibi tantillum est eam.
Ego itidem ancillulam igitur unam elegantulam
Prehendo. Atque illa ut lepidè mecum egit! præterea; q; affatim
Appotum reddidit. Has ego laudo Bacchides,
Quæ viros superare poculis queunt. Quàm scitè congium
Ipsum evacuabat? mihi verò istud arduũ & difficile erat;
Cum tertium ebibi, quartum non potui quin mox redderẽ:
Hic ipsa me complexa labra extersit: haud id dedecus
Est, inquit, nam hæc nobis disciplina est, atq; ibi non turpe id est,
Egerere, ubi ingerere est gloria. Nunc exeo,
Ut hoc villi exhalem, post ad cœnam redeam, et de Liberi
Divino flore capiti hdic corollas vinciam amplius.
Sed quid clamoris audio hîc? quis hic homo est?
Seplasiarius est, puerorum ludus, quales plurimi
Passim sunt, quos ego omnes non curo magis,
Quàm si blitum absq; vino apponatur mihi.
Hunc auscultare procul, quid sibi velit, libet.

ACTVS II. SCENA IV.

THEOTIMVS, PARASITVS.

HÆc illa aqua est salubris, quæ de fontibus
Israëlis emanavit, hoc oleum sacrum,
Quod cœlitus per barbam Aaronis profluit;

Hunc

Hunc arbor vitæ fructum reddit singulos
In menses, & folia hæc saluti gentium.
Hoc lacte terra sacra fluit. Adeste vos,
Huc, huc, sitis quos cogit, emite, ego omnibus
Mihi ut gratis data sunt, dabo: emite, dum licet,
Usurpate. Futurum est enim, ut qui usus fiet
Sacro hoc cibo, vivat. Huc, quæ Christo lampades
Lucentes oblaturæ, honestæ, quid moramini, virgines.
Nemo est, nemo advenit. Heu cæcam ignorantiam!
PAR. *Esurire hunc arbitror, sic mercem addicit largiter.*
THE. *Heus, vos mortales, mortem fugere qui cupit,*
Hæc hæc aqua vitæ, hæc vivida
Vina, emite; quibus æs defit, gratis omnes bibent.
PAR. *Mirum cauponam, sanus-ne hic homo est satis,*
Vinum qui egurgitet? siquidem vinum? Sciam.
THE. *Nescio quem prodeuntem facie exoticâ*
Aspicio. Adolescens heus, nihilne quod velis
Emtum, placet? mercem inspice. PAR. *Etiam vinum habes?*
Quanti indicatur urna? fortè herus meus
Hodie, si placeat, in cænam emat. TH. *Ah non ita est,*
Adolescens, non per urnas hoc divenditur;
Vinum hoc vitæ est, hoc qui bibit,
Vel guttulâ aliquâ unâ post immortalis est,
Dum rectè usurpet. PAR. *Quot vitæ ergo sunt tibi?*
Nunquam moriere, aut atrâ bile peritus es.
THE. *Stultitia, video, mundo est Dei sapientia.*
Ut ut mea vita hic sit, rectè immortalis est

Post hanc vitam. PAR. Hic homo haud sapit.
Post vitam quid nisi mors potest esse? hic sibi
Ex morte vitam somniat. Vale, ac bibe
Helleborum, ut ipse vivas. Sed quid stultum ego
Attendo stultior? cesso ire, & bibere apud Babyloniam.
THE. Aut ebrius, aut insanus est: miser! miser!
Nescis quantum fastidias
Bonum. Sed hydropotis vinum non sapit; (bonæ
Sic hisce mundi suibus amaracinum haud placet. Verùm
Merx facilè emtorem reperit, tametsi in abstruso sita est.
Ecquis vinum vitæ, oleum pacis vult? citi
adeste, adeste cives, emite, dum licet;
Breve est, ubi auferantur è terra. Virginem
Adire video. Lampada hæc gerit, benè
Habet, Christi sponsa est, oleum fortasse emet.

ACTVS II. SCENA V.

HYPSIPHILE. THEOTIMVS.

Oleum audio venale; id viso si bonum est;
Nam postquam assiduò disputo contra adversari-
Ut eas convincam, interea obliviscor facem (as meas,
Exstinctam. At nescio, cui rei ista sit
Adeò. nisi quod Sponsus noster sic velit;
Cui ios gerendus, etsi ineptus. THE. Gaudeo
Unum aliquem adhuc hominem bona hæc morarier.
Invitabo: Ecquid virgo mercium placet?
Oleum puto vis. HYP. Volo quidem. Salve institor.
Sed unde quæso id gentium oleum? quis tibi

Id ven-

Id vendidit? THE. Non venditur, dono datur
Mihi, qui porro illud dono dem, si quibus
Usus siet. Proin', si vis, potes quoq;
Et tu bono communi hominum mortalium
Frui. HYP. Satis benignè. at unde? & quis tibi id
Commisit? THE. Jesum nescin' æternum Deum,
Vestrum vindicem atq; Sponsum? HYP. Eja! æternum
Quasi ille fuerit, antequam esset? natus est (Deum!
Ferè ante annos bis mille ex matre in Bethleem.
Jam tu rectè ut numerare possis, tempus haud æternum id
THE. Proh Christe! quid ego hic audio? te in virgine (est.
Primum cæpisse? Heus virgo. HYP. Quid vis? THE.
Non ita est,
Ut ais; per ipsum facta sunt hæc omnia,
Quæ facta sunt. Hæc autem ante annos sexies
Mille esse facta, haud inficiari te arbitror.
Cum fecerit verò omnia, ipse antè extitit;
Cumq; exstitit, non pòst, ut tu inquis, natus est.
Rectè ergo æternus est Deus, si credimus
Johanni Evangelistæ. HYP. Quid sophismata hæc?
Cui istas ambages succinis? vale, haud placent
Tua mercimonia. THE. Et quid hoc? nequeo satis
mirarier,
Si hæc sponsa Domini mei est. Relinquendum est Deo hoc;
Is, non ego hic derideor. HY. Ille homo nisi est fanaticus,
Ausim meam animam perdere. Habeat hæc sibi,
Valeat. Nimis vili veneunt nunc hæreses,
Largam profectò messem earum oportet esse. Gratias
Pol ago Deo, qui melius sapere & altius mihi dedit.

Crasso

Crassò istud homines ingenio putant fore,
Ut quis simul æternus sit atq; in tempore
Certo prognatus. Mihi nemo id persuaserit.
Aliæ hæc emant sorores stultæ, quæ cum hoc homine
sentiunt,
Quarum me piget ac pœnitet graviter quidem,
Cum istud docent, quod si fiat, natura rerum corruat.
Sed quam hîc video? esine Dyseris? quid hæc velit,
Odium hominum, furor, tellus ipsa cui dolet,
Quam calcat. Arbitror venena hinc Thessala
Emet, quibus malè faciat; siquidem benè
Conveniunt, quantum accepi. At quasi nihil mihi
Domi sit quod curem, otiosè istanc moror.
Mihi verò dum nugas has confuto, satis negotij est.

ACTVS II. SCENA VI.

DYSERIS THEOTIMVS.

Diu te auscultò hinc, institor, oleum tuum ac aquam
Huic mulieri commendare. Sed scire hoc desidero:
Usne ista ei vis est? quis dedicavit Pontifex?
Cui rei? ecquid ignem sacrum exstinguere hæc potest?
THE. *Deus bone! neminem nunc recta sapere, demq;!*
Erras virgo; haud aquam, qualem sacrificuli
Papales dedicant, fero. Hæc cælestis est,
Ex Israelis fontibus; quam si bibas,
Peccati maculas eluit. DYS. *Malè sit tibi,*
Cum aqua tua. Hæreticum te oportet esse, qui
Me erroris insimules, sacratam aquam exsecres.

Quære

Quære qui emat. Sic nunc vulgus, dolor, sapit.
Qui vix primoribus labris gustavit sacra, is
Se planè saturum perfusumq; illis putat;
Cana illa vetusta spernitur, novi nova
Quærunt: ubi illud nunc ævum? ubi jejunia?
Solennitates? lustra sacra? ah, nulla sunt!
Mutantur, pereunt! Vellem oleum faci meæ
Emere; sed hæretico non credo; aliunde emam,
Alijs relinquam hæc. Theopistæ & reliquis ejus sororibus
Stolidis, rivalibus meis, quæ se mihi
In invidiam æmulas apponunt; edepol si cognovere
Illas in cœlis esse, ego ibo ad inferos.
Tam ego istas planè haud ferre possum. Invenero
Pol, qui illas aliquo veneno tollam. Atq; hoc agam.

ACTVS II. SCENA VII.

TAPEINOPHRONA.

Sororum si quæ fortè quærat me, Ancona,
Ora, ut maneat paulisper apud me, dum ad forum
Eam, lychno meo oleum emtum. Volo neminem
A me excludi, quin operam ei dem. Non placent,
Quæ pauperum consectum fugiunt, quæ fores,
Ne quisquam egens adeat, tanquam Orci januam aliquo
Cerbero
Præmuniunt. Equidem consortia hæc & consuetudinem
Hominum vitam cœlestium esse credo, ubi
Pijs inter se nosci re,
Conferre, jovam collaudare, unus labos,

Unæ deliciæ erunt: mihi nil tam dulce in vita datur,
Quàm colloquium mearum; illic mihi fingere
Tum soleo vitam cœlitum. Et cum omnes quidem
Amo mortales, tum in primis pauperculos
Istos hominum optimos, quibus frugalitas
Parvusq; victus assiduus magister est
Ad sanctitatem. Atq; utinam illos sanctissimi
Sponsi mei legatos amplecti satis
Lubenti animo possem, quos tanqnam se mihi
Amandos commendavit; ut si eas benè
Juvem, illud dilectissimo meo proprium
Beneficij apponam. O mi Jesu animum mihi bonum
Largire, quí præ me tete & tuos amem.
Philoxenam video hic astare cum hospite
Nescio quo; forte is est, quem merces audio vulgò vendere.
Nescio quid miratur soror.

ACTVS II. SCENA VIII.

PHILOXENA TAPEINOPHRONA. THEOTIMVS.

DEo misericordi meritò agimus gratias,
Qui tam sanctum thesaurum in orbem prodidit.
Hæc ipsa vitæ vera aqua est, quam ubi paululùm
Degustio, quantam vim divinitatis sapit!
Mi vir, quanti hunc liquorem precioſum indicas
Nulli auro comparabilem? TAP. Non temerè id est.
Scire hoc volo.
THE. Laus Domino, qui sanas ad huc aliquas sibi
Reservat, quæ cognoscant hoc nectar sacrum. (reddere,
Puella, inemta ut sunt mihi, inemta rursus æquum est

Cuivis placent; cape saltem audacter, quod opus est; non
plus satis
Mihi auferetur. Nam, quantò magis effundo mortalibus,
Tantò mihi major copia est, tantoq; majus præmium
A Domino meo reporto. PHI. Dominus nos beat!
TAP. Quid sit, soror? quid læta es? PHI. ô mea optima!
ô soror mea!
In tempore advenis. Cape hoc sis; guttulam
Unam deliba. Vitæ aquam ipsam invenimus.
Quid est? taces? TAP. Deus bone, quas tibi gratias
Agemus: O mi vir, quid tibi fieri velis,
Ut nobis saltem pauxillum hujus, tam boni
Liquoris tantùm impertias? THE. Qui mihi dedit,
Vobis item & cunctis dedit communiter.
Ac, utinam omnes æquè cognoscant, atq; vos.
Nulli negem, omnibus fontes uberrimos
Aperiam aquæ viventis. Tu ergo, quod placet,
Prome hinc, à me gratis feres.
PHI. Deus nos servat. Mea Tapeinophrona, huic viro
Boni aliquid facere æquum est. TA. Omninò censeo.
PHI. Mi vir, postquam nostris dedisti animis cibum æter-
num, obsecro
Te, ad nos diverte, ut pro bonis cælestibus
Terræ rursus bonis fruare. TAP. Ne nega.
Quod quimus, referemus, pro immortali bono,
Mortale. THE. Non illud decet; Dominus meus
Gratis mihi dedit, gratis danda. PHI. Eja, agè,
Non id nos volumus, nec si velimus, possumus,
Precium dare. At cum tu nobis ministres hos animæ cibos,
Jus est,

Jus est, nos tibi nil denegare, corpori
Quod sit necesse. Proinde æternum sis cibum
A nobis poscere: veni, hospes nobis gratus es.
THE. Non longum est, cum Dominus meus à me rationes collegerit.
Sed prandium hoc, quandoquidem oratis, esse unà vobiscum volo,
Eâ conditione tamen, ne molestæ post sitis amplius
Mihi. PHI. Ubi vis, nil ero. Sed quò tu abis, soror?
TAP. Sorores advoco, ut bono hoc
Divino unà fruantur. PHI. Optimè mones.
Ut mox tecum adveniant, ora. Omnes illæ honestæ, omnes tuæ (us tibi
Mercis sitientes. THE. Rectè agis, quæ me juvas. Deoperam dignam reddat. PHI. Sic fas est. Introì veni.
THE. I tu præ, sequar.

ACTVS III. SCENA I.

BELIAL.

HIc ille ridiculus Seplasiarius
Prostituebat modò sua mercimonia.
Ipse intus prandet; interea agè Belial, tuam
Mercem produc, vende: Hæc aquam vitæ tenet
Theca, haud talem, qualem modo
Ille alter fungus profundebat, mortuam:
Vitæ hæc aqua est. Illa oleum pacis pyxis habet, Lac hæc sacrum
Mariæ beatæ virginis (succum esulæ pol). Vinum in-
tus in Hac

Hac seria, ejus quod quondam in Cana dabatur nuptijs.
Concurrunt emtores; præda ampla est; hoc age, his ha-
mum objce:
Huc, huc, tenaces vos avari quin vestrum aurum promitis?
Bullas Pater beatus Pontifex has suâ scripsit manu
Sanctiss.mâ, quas, qui gestabit, nec peccatum nec malum,
Nec ipsa mors, non lemures, ipsi dæmones
Adeò nocebunt; angelorum millibus stipabitur,
Imò manu gestabitur (Gehennæ in ignem) in Abrahæ
Sinum. Ecquis est, cui peccatorum moles molestiam
Præbet? sudarium hoc Dei est. Heus, qui soles
Pharmacopolis & myropolis sordidis negocium
Præbere, formam ut compares tibi. Hoc inquam, hoc
sudarium
Veronicæ est; hoc (asine lippis?) inspice, an faciem Dei
Non, ecce, nostin? Hoc adeò si sis semel
Quotannis absterstus, pòst formosissimus mortalium
Fueris: vel adeò ex simia hac mihi reddere
Venerem, si opus siet, possim. Hinc illæ Italæ
Nitent puellæ, hinc Venetæ Veneres. Et quid hoc?
Principiò dictum oportuit, Vah nimium tardus sum, nimis
Insitus: Pennæ ecce hæ de sancto Spiritu.
Nuper præsentem Romæ in templo prendimus,
Quando beatus Pontifex sacram rem de ritu suo,
Missam, faceret, omnesq; Cardinales cantarent patres,
Campanarumq; sacrarum unà usus tonaret maximus,
Illic, patri, ecce, supplici ipse Spiritus sanctus Deus
Se alis rejecit in manum; is posquam Deum
Prehendit, alas intervellit postea; dein' commodè
Compegit

Compegit in caveam. Hinc Romanæ Ecclesiæ illa sancti-
Sapientia, & quid mirum? quæ ipsum Spiritum (tas,
Sanctum domi conclusum tenet. Has illicò
Cum accepimus, ibi Cardinalis quidam, ita ut fieri solet,
Subitò in morbum lethalem incidere, in mortem deindè
ac emori;
Pater sanctissimus Pontifex cadaveri hanc,
Quam dico, pennam imponere
Deum implorare. Quid illic? heu edepol, qui dudum
mortuus
Erat, consilijt in pedes suos illicò, cibum petijt.
Non illud signum est magnum? Annuitis. Sed quid hoc?
Nonne tiam dixi? cui hoc oleum, illud balsamum
Dicere debebam, at negligenter hic eram; hoc ex ossibus
Sanctorum reliquias vocant, expressimus;
Ex lippis luscos, luscis cæcos, cæcis cæciores facit.
Hem quid titubo? lippo mederi, oportuit me dicere, &
Cæcis obstruere, restituere imò, destruere lumina.
Hoc illud divi Petri cerebrum est; quisquis hoc
Gestat, sapientiâ illicò perfunditur,
Oracla mihi reddere solet,
Ita est efficiens. Et quid ego vobis dicam? non cre-
ditis:
Si taceam ego, virtute ac bonitate cerebri hujus, quod
dixeram,
Tantam scientiam contraxi, ut facta, facienda omnia
Præsentia & futura teneam memoriter;
Quid hic, quid ille dixerit, quid fecerit, me quæritet
Si oblitus est, ego suggeram ipsi. Atq; ut sciatis vera me
Memo-

Memorare, dico vobis, prædico, mox mihi
Huc affore Dyserin, quam tamen haud vidi ego.
Quid? mores ejus anne scio? cacadæmonem
Ex Orco odijs rixisq; adeò exigat. Nihil
Falsi dico. Atq; ipsa est quam dico, adit, profectò verax fui.
Adeste scortatores, helluones, mœchi, adulteri,
Et vobis etiam quæ fiant, apud me sunt medicamina.

ACTVS III. SCENA II.

DYSERIS. BELIAL. PHILARGYRA.

Veniſſe tandem aliquem inſtitorem ſanioris audio
Mercis. Et eccum. BE. Hanc dixi vobis; Et quid
Emtura dicam: Heus virgo, ſanâ te arbitror (ſies
Mente; etenim, quæ tu ſis, ſcio: haud mala, id ſcio
Et quâ re maximè indigeas, illud quoq;
Non neſcio: Primùm, oleo opus tuæ lampadi eſt,
Quam hos annos jam feriatam ſerrugo exedit.
Dein' ſanctorum ſunt hæ reliquiæ, quas tibi
Dono dabo; lac hoc Mariæ virginis;
DYS. Salvete vos ſanctæ reliquiæ. O vir Dei,
Quæ te felicitas ad has oras in tempore pertulit?
Futura qui tenes, qui cordium inſpicis
Secreta, interpretem Dei te eſſe convenit.
Sine oſculer tibi digitos, hæc ſine baſiem
Divina munera: Ah vos dia, ah vos ſacræ
Dona, vos amplexabor lubens! Amabo quis
Iſthæc tibi conceſſit bona? inque vir Dei. (levis
BE. Hæc qui mihi dedit, non hæreticus, non errо blatero,
Eſt, quin Deus terræ Romanus Pontifex hæc mihi dedit.

DYS.

DYS. Ah vivere etiamnum lubet. BE. Si quid placet,
Tibi sume. tibi gratis dabo, quæ sis bona,
Ut rursus alijs quibus opus est, impertias.
Venite, quisquis estis, emite; non ego
Rem, sed salutem quæro vestram, animam volo
Mecum esse vestram. Et tu, quæ assas mihi non mala,
Te ego novi Philargyram, & tibi quisquid bono
Sit, habeo: Fortunatum nosti, quem ferunt
Crumenam habere, quæ nunquam pecuniâ
Exhauriri posset; talem, si paululum
Mihi reddideris, & si rectè eam usurpaveris, tibi
Dabo; scio te auri cupientem maximè.
PHI. Quid hoc? quid dicam? quid ferè?
Hic homo meam animam & nomen callet, tanquam ego.
Mirum, ni hic est Deus aliquis. BE. Haud mirare me;
Mortalibus servire missus sum, mortalis at & tu.
Cape hoc, & nil mirare; Papæ, & mihi decet
Te gratias agere. Fac ergo periculum,
Esne, ut dico, aurum intus? manum insere. PHI. Ah
quid tibi
Pro hoc tanto munere, vir Dei, reddam? BE. Haud decet
Pecuniæ avidum esse medicum, sed gloriæ.
Sed scin' virgo? (id monitum inter prima oportuit,)
Nisi quotidie talenta bina fratribus
Monachis Carthusianis erogaveris, perit
Tibi scaturigo auri; monachos juvari decet.
Vos alij, nilne emitis boni? haud diu est, ubi
Abeam; alibi sunt etiam meâ egentes ope,
Cunctis servire missus sum. Unam excipio etiam virgi-
nem, Sanctam

Sanctam, beatorum dominam; ejus ſtudijs etiam obſe-
qui volo,
Dein' abeo. Preſtinate ſultis dum licet.
Sed videone hunc Diapontium Cleomachum, bellum & bellicum
Hominem, cum quo Mars haud auſit concurrere?
(Mus terreat hominem!) Hunc auſcultare etiam lubet.

ACTVS III. SCENA III.

DIAPONTIVS. PARASITVS. BELIAL.

Curate, ut ædes ſplendidiores ſint, quàm Solis eſt do-
Arma iſta exterſa collucere condecet. (mus;
Amica mea Babylonia, domina gentium, &
Divum regina, poſtquam hodiè cænam mihi
Dat, cras apud me cænatura eſt. Herculè
Cunctis felicitatibus & virtutibus
Amorem antevenire credo. Nec potè quicquam commè-
Quod plus boni atq; virium habeat publicè. (morarier,
Nos imperatores miror, qui bellicis apparatibus,
Quos maximis diſpendijs inſtruimus, Amorem unicum
Non admovemus; nam ille ſi illic interſit, ſolus duces,
Reges & imperatores devincat, deijciat oppida.
BE. Nondum ſatis edoctus. Principio dulcis eſt
Amor; quantum fellis ex melle iſto in fine ineſt!
Amores ſcorpionis inſtar, frontem blandam præferunt,
Caudâ morbos mortesq; habent.
DIA. Hanc ego de me nunc conjecturam facio, ne quæ-
ram foris,

Nam postquam amore captus hujus Babyloniæ fui,
Nihil mihi tam magnificum visum fuit,
Quam ejus mereri consuetudinem; gnaviter
Imperijs ejus obsecutus, armis belli repperi,
Ut me unicum expetat, sese dedat mihi.
Ob probus fui imperator, postquam commoda
Ejus quæsivi ductibus Mavortijs;
Quando hæreticum adeò principem
Cum innumeris alijs ex insidijs unà occidi fanaticis;
Cujus caput cum ad ipsam afferri feci, accersit me illicò,
Et hunc, ut sum ad modum tractavit: Cerere, Venere, &
BE. Hic ipse sua scelera decantat, salvæ erunt (Libero.
Res meæ tali rege; optem tales plurimos.
DIAP. Nunc prodeambulo huc, ut crapulam concoquam,
Non exieram, nisi ipsa exivisset prius.
Isse in forum fertur mihi. Itaq; eam sector. Satellites
Sequimini. Sed meus servulus ubi est? PAR, Hic est,
stat propter virum
Primum atq; primatem, atq; regem gentium,
Christianorum volui dicere, at sedulò hic eram;
Quem domina terræ reginaq; cœli amat atq; unu deperit.
BE. Haud diu hoc erit. Sine biduum aut triduum
hoc transeat,
Pejus cane oderit. DIA. Sed quid? quid ais mihi?
Magnas verò agere gratias Babylonia
Mihi. PAR. Postquam ei à te munera istæc attuli,
Ducis caput, ais, atq; spolia cætera? DIAP. Rem
tenes. PAR. Hui,
Ingentes! non tam ipso quidem

Dono,

Dono, quàm abs te datum esse, id verò ferìò
Triumphat. BE. Hominem perditum: DI. Est istuc datũ
Profectò, ut grata sint mihi, quæ facio, omnia.
PA. An immeritò? qui sis tam pulcer. BE. Non opus est
Illum sapparasitari ei; ego, qui calleo
Illius, quæ nunquam fecit, facta omnia,
Parasito edace melius enarravero:
Heus imperator, raptor hostium, mœnium
Terror, fulmen belli, deliciæq; & decus mortalium.
DI. Quis nomina mea nominat? PA. Quid ille gerro vult
BE. Tuarum laudum præco conventum te expetit. (sibi?
DIA. Adeone? PAR. Nihil. (me miserum! siquidem hero hic placet
Nugator.) DIA. Mirum, unde hic me nôrit. PAR.
Quem omnes noverunt. Peri!
Exponor. DIA. Scire volo. BE. Rectè adòriar: Salvere plurimùm
Regem Diapontium Cleomachum jubeo, perpulcrum virũ,
Fortem atq; fortunatum, & formâ regiâ,
Tum bellatorem, Mars haud ausit dicere
Neq; æquiparare suas virtutes ad tuas.
DIA. Orator salve. Hoc mihi respondè, quod te ego
Rogo: Principiò nomen meum tu nominas,
Meas virtutes bellicas qui prædicas,
Ubi tu me priùs vidisti? BE. Ego te non viderim?
Quid tibi ego dicam? Omnes mortales sciunt:
Diapontium Cleomachum in terris vivere unum principẽ
Virtute & formâ & factis invictissimis;
Cui gentes ultrò supplicent, quem ultrò reginæ Deæq;

DIA. Vera hic ait. BE. Cui credere omnem exercitum
Uni orbis terræ. DIA. Quis huic, quæ clanculum
Consilia aguntur indicavit? BE. Qui Turcicum
Baſcham ſuâ manu obtruncavit; cui tu caput
Et dorſum & ventrem & coxam, uno ictu finderes.
Imò quod non ſatis memoro: cujus tu equo
Simul tum per corium, perq; os, per viſcera
Machæram iſtam tranſmitteres; cum tu manu
Tuâ centum in pugna, & quinquaginta in fugâ
Turcas, ducentos in dejecta arce Tartaros,
Sunt homines, quos tu una die occidiſti; murus cum tuâ
Faciem vidit, refugit; cum ipſe Turcicus
Amurhates imperator ad te ſupplices
Cum donis legatos in caſtra mitteret,
Qui te, è pugna uti vel paululum concederes,
Orarent. DIA. Ha ha hæ. BE. Quid rides? DIA.
Tam barbaros
Iſtos legatos; nomen meum vix proloqui
Poterant. BE. Scio, memini, (nihil horum,) ecaſtor
Elephantum Indicum
Illum te tum accepiſſe, camelos plurimos
Auratos. DIA. Auratos non vidi. BE. Imò aureos,
Hem, torquibus memorabam iſtos aureis.
Sed, quid refert, me dicere, tu quæ (haud) feceris.
Deruncinandus dignè erat. PAR. Hei mihi; actum erit,
Siquidem huic aures herus dedit.
Utinam aut hic mutus, aut ille ſurdus factus ſit potius,
quàm ego
Famelicus inteream. DIA. Per Herclem prædico,
Apollo

Apollo nunquam factis Martem tam sciat
Celebrare, quam tu me. Euge, dono te lubens
Ob hæc tua dicta, ut mecum eas, cænam dabo tibi regiã.
BE. Non ex eo genere ego sum, quibus venter solet
Dictare, quæ nunquam sint facta. PAR. Hem animam
reddit. BE. Sed ecce me;
Ego te ob tua ista facta decorabo amplius:
Pugnis satis vales, specie venustus es,
Amant te omnes mulieres, neq; id injuriã.
Hoc speculum sis de me cape; id quæ inspexerit
Mulierum, vel si etiam ipsa conjunx sit Jovis
Regina Juno, ultrò te amabit, ultrò te
Orabit, ut se ames. DIA. Dij dignis digna dant,
Bonis bona. PAR. Mirum, ni hoc homine quoquo pacto
opus est. DIA. At satis
Pulcer tibi visus sum? sic puto, dixeras. BE. ut qui Nerea
Vincas specie. Nunc quære, quod ames, inveni.
Et tu bone vir Parasite libenter esse soles. PA. Nempe
optima.
BE. Cultrum hunc tibi do, sancti Pamphagi fuit
Mancipium olim; hic egregiè instructus scindere
Dapes, & quod ille sciderit, extemplo optimè
Conditum erit. Sed scin'? si crumenam secet,
Nemo illud sentit, harpagabis quod lubet,
Impunè erit, nemo accusabit, nemo sciet.
DIA. Dummodo mihi nihil furabere, non moror,
Alienæ cistæ sis, ut animo tuo lubet.
BE. At hoc mihi exciderat. Hæc laterna Malchi erat,
Hoc ille cornu Vulcanum concluſum gestabat; hanc mihi

Tu si gestabis, omnes quotquot viderint,
Illa excæcabit. DIA. Malche, nolo istam mihi
A te laternam præferri. BE. Deniq; quod te dignissimum est:
Judæ iste laqueus est; si hoc te suspenderis,
Nemo prehendet pòst in furto. I modò nunc, & suspende te.
PAR. Hæc non accipio. reliqua volo; laqueo tibi,
Fauces qui nugaces obvincias, opus est; qui non vides
Quæ dicas, hanc tibi laternam retine, verba dispice.
Hæc reliqua accipio, & hanc tibi habeo gratiam,
Quod hæc consilia rursus tibi do. BE. Non malam.
I nunc rex scortare, i pugna regaliter.
I tu Parasite, vora. DIA. Licetne mihi ex te scire, divine vir,
Tibi quod nomen est, alijs ut te meritò deprædicem?
BE. Mihi nomen non admodum
Vulgare, Hierophilum Romana Ecclesia
Me vocat, de gente Thusca natum. DIA. Hierophyle, te volo mihi
Convivam mecum. BE. Haud nunc eo.
DIA. Sequêris ergo? BE. Pòst sequar.
Mox mox abiero. Vos emite, prestinate nunc.
At, quid? nimis sum oblivioßus: Militi asino caudâ erat
Ac auribus opus. Cauda hæc est sancti asini; dignum sanè erat
Eam illi apponi. Atq; ambulet. Quin emitis asini? adeste dum
Ubi hæc facultas est. Babyloniam virginem

Meam

Meam video huc cum ancillis ire; gaudeo
Illam pietate antiquâ & priscis moribus
Muratam. Huic verò servire me addecet.

ACTVS III. SCENA IV.

BABYLONIA. OENOTRIA. BELIAL.

Pol lepidus imperator visus hospes noster est mihi.
Qui tam cautim tractare amicam callet. Huic quoad volet,
Non possum, quin mei copiam uni faciam. OEN. *At quid de cæteris?*
Qui tecum assiduè consuevere? BA. Quos ais cæteros?
OEN. *Militem*
Insulsum istum, mercatorem Polyplusium,
Et monachum; hodie simul venerint.
BA. *Hem, monstra hominum! apage; exclusos hos volo.* OEN. *Ne time,*
Ego id curabo; inveniam pol, qui gratiam
Eis pro intemperie multa referam. BA. *At obsecro,*
Quid facies? OEN. *Dici nequit, longum est, post dixero.*
BE. *Si illam sat novi, ex stultis insanos faciet anus.*
OEN. *Optimos*
Ludos dabo. BA. *Places. Sed quid dixti mihi dudum? cur foras*
Me edûxti? OEN. *De istoc vate Dei? Faxo, ipsa tu*
Mox dicas. Progredere hàc modò. BE. *Inescanda est fera:*
An nemo est, qui luculentâ formâ Cupidinem

Deum vincere optet? Hoc certè Veronicæ est sudarium,
Illo, qui faciem exterſit, protenus pulcer est.
OEN. Audin' quæ hic dicat? BA. Formarum ornator est.
OEN. Is est, quem dico, vates BE. Hæ illæ sunt lacrymæ
Mariæ Magdalenæ; his oculos collinunt,
Quæ amantes illicere cupiunt. BA. Quid cesso ego
Hunc convenire? BE. Heus virgo; non te aspexeram.
Babylonia equidem tu es, cœli regina. Qui
Te ament, sunt plurimi. Ut sis pulcra te faciam: Hoc
te linteo
Abſterge; imaginem hanc viden? BA. Salve bone vir.
Deûm fidem,
Unde hæc imago? BE. Noſtin'? hem, ſponſi tui,
Qui tam te deperit, quem & tute amas; oſculum
Unum illi appinge ſodes. Ecce ut ſudat, hoc tui est
Amoris gratiâ. BA. Obſecro te, ſic macilentus ſanguine
Quid est reſperſus? Non amo, pereat malè. OEN. Non
is convenit
Formoſulis. Non aliud est, quod malis? BE. Etiam lacrymæ
Mariæ: amari quæ volunt, his obtinent
Fretæ, quod optant. Illine, hem, oculis. Sic. Deus
Bone, ut mihi vereor, ne te amem, cum te ſemel
Aſpicio! OEN. At edepol Venerem vincis. BE. Nunc
heros Diapontius
Cleomachus non potest quin ætatem ſeſe dedat tibi.
Jam nunc rectâ i domum, illic te rex anxiè
Exſpectat, illò alij multi venient. Sed tibi,
Mater,

Mater, nondum benè feci: Ecce hæc est seria,
Hoc vinum illud, quod Canæ olim Deus creavit ex aquâ;
Hæc seriola est ejusmodi, ut si eâ bibas,
Haurire liceat, exhauriri non queat.
Nunc pota vinum. Quiesce; quid dictura sis,
Scio, gratum animum tuum olim teneo; quæ optima es.
Tace, ac Papam lauda, Babyloniamq;, ut facis,
Doce, orna, sanctis moribus; et Lutheranos hostes pessimos
Persequere, exstirpa. OEN. Et id, & alia, quæ vis, lubens
Facio. BE. Teneo. BA. Vates Dei, mecum ne vis ire,
ut tibi lubens
Boni multum dicam? ut te quoq; amem plurimum.
BE. Amare si vis gratiam habeo. Verum haud decet
Papæ legatos ulli uxori operam dare. OEN. Verùm
haud uxor est,
Amica si qua est. BE. Rectè ais mater. BA. Benè
Tu sapis. BE. Non nunc eo, mox sequor; nam non queo,
Quin te miserrimè amem. BA. Sequeris ergo. BE.
Sequor.
BA. Sequimini vos pedissequæ. BE. Sed non est locus
mihi amplius.
Etiam emite, inquam, emite sultis, mox discessero,
Mox alteri illi agyrtæ locum dedero. Atq; eccum, im-
probus
Homo, qui mea mihi fascinat, prodit; scelus
Vobis dissuadebit, ne hæc tam salutaria
Ematis; sed ne credite, non audite; etenim fanaticus est,
Veneficus, qui nihil nisi maledicta sapit. Meam
Mercem convaso, atq; abeo, salva ut hæc bona

Servare liceat. Pauca tamen vestro bono hæc
Communi linquo. Qui volet eis utitor.

ACTVS III. SCENA V.

THEOTIMVS.

DEus illis, ut meruere, faciat optimis
Puellis; adeò mihi cibum liberaliter
Dedêre, adeò grato animo sacra munera
Acceperunt; solæ, quæ in hac caligine
Lucem veram contuentur. Illud gaudeo,
Tanto hoc dolore; semen Deo esse relliquum.
Redeo in forum, ut mercem meam ampliùs vendam.
Sed quid? nimis
Turbarum est. Hem concurrunt, rapiunt; hîc quidem
Pugnatur. Vah! paulùm huc concedam, dum turbæ
istæ desinant.

ACTVS III. SCENA VI.

SYRA. SIMO. EPIDICVS. THEOTIMVS.

REddin', quod eripuisti puer? SI. Tene, tene, heus, heus, sta puer!
EPI. Quid stolide clamitas? SI. Meum mihi balsamum, quod eripis.
SYR. Et quos mihi sacros liquores. EPI. Quod tuum? commune id est.
SI. Mane, inquam. EPI. Mitte inquam me. SYR. Prende. EPI. Mitte me. SYR.

SYR. Tun' mittare? hem! EPI. Non abstines venefi-
ca? SY. Nebulo. hoc, hoc prius
Redde. Hoc volo. SI. Et meum hoc fuit.
EPI. Sacrilegi, qui vim facitis. Scire volo, cur mihi
Meum eripitis? SYR. Scire volo, cur meum eripueras?
EPI. Jupiter
Me perdit, nisi hoc ulciscar. Redde venefica Thessala,
Mortalium larva; an reddis? SY. Nebulo! hoc vide,
Puer seni mulieri audet maledicere. EPI. Quid autem
Picam? culex cana, hirce vetule, capuli decus. (tibi
SI. Hem verbero! utinam stimulus in manu mihi
Sit, Patri nisi tuo hæc indicem! SY. Tene scelus,
Scipione ut hoc ei linguam excutiam; tene Simo, tene.
EPI. Tene tu tibi in os hoc lutum triveneficæ. SY. O
mater Dei!
Succurrite cives, operâ senibus ferte, quos puer opprimit.
EPI. Rectè ultus hanc sum, fugiam; habeat sibi toxicũ
Circe. SI. Obsecro quid hoc rei est? SY. Homini seni
hoc fieri? Os mihi
Ut oblevit penitissimè! heu, oculis diem
Aspicere nequeo; ubi est scelus? aufugit. Atqui aromata
Hæc salva reliquit. SI. Hæccine me puero facta esse!
ô secula,
O mores, illic, si senem oculo inimico puer aspexerat,
Occisus esset virgis. THE. Dudum nescio
Quam specto pugnam. Quæram, quid mali fiet: Quid
Senex? quid clamitas? puer ille cur ita (est tibi
Vos impetivit? nimia istæc protervia est.
SI. O mi vir, Deus tibi gratiam referat, oportunè advenis.
SYR.

SYR. Ut paululùm citius veniſſes, puer nos ille perii it.
THE. Sed quid negotij hoc eſt? SYR. Dia hæc pharmaca!
Huic quæſo dic Simo, os dolet mihi, dicere
Nequeo. SI. Dicam: vir ille legatus Dei,
Mortalibus qui magna aſportavit bona,
Modò hinc abiens, reliquit communi bono
Hominum quædam ſanctorum munerum. THE. Mirùm, niſi ego mea
Modò hinc abiens oblitus. SI. Hoc age ſis. THE. ago.
Sed dic mihi iſte quò abijt. SI. Quò? quò? SYR. Quò abierit?
SI. Tune ſcis Syra? SY. Ego quæro: Non. THE. Quid reliquit ergo? id ſcis. SI. Mane,
Dicam: Ille abiturus convaſavit omne mercimonium:
Hæc pauca illuc deſtituit; in mortalium
Bonum commune fore, inquit, ipſe mox abit.
Hinc turba, clamor: SYR. Imò illîc puer mihi
Hoc è manu, quod obtinui excutere, illicò
Surripere, fugere; ego rurſus eripere, ibi mihi
Senio, huic, miſerrimis
Quot ingeſſit maledicta! Atq; adeò hæc ſis vide,
Malefacta quæ ingeſſit: labra ut mihi diſcidit,
Os contudit. THE. Hæc nunc diſciplina. At hoc volo,
Dic, iſte quis fuit? legatum prædicas,
Et quid vobis dedit? ſacra putas pharmaca.
Cedò ut videam. SI. Hem hac illud divæ virginis
Mariæ ajebat. SYR. Hanc divorum ex oſſibus
Medullam, balſamum vocabat. THE. Chriſte, quid nunc audio?

Quis

Quis illic hominum? Næ ego cum magno hominum malo
Hinc abfui; Antichristus ille ipsissimus fuit filius
Perditionis. ST. Quid sic insane, clamitas? Non est ita
Ut dicis homo: vel ipse Christus, vel ejus certè angelus
Aliquis fuit; ita futura, quæq; erant præsentia omnia,
Præterita percallebat ad amussim. THE. Miser,
Quid egi? sit est, à syncero semine
Zizania haud migrat. ST. Deus te perdat, impüssime;
Maledicere huic audes? SI. Cave quisquam hæc audiat,
Ne te sublimem rapiant. THE. Mi senex, putas
Tu hic Mariæ adhuc superstes? ipsa cum virgo sacra
Genetrix Dei, longè ante mille annos cinis
Jam sit? de reliquis itidem sanctis judica.
ST. At quis tibi dixit? anne etiam emulctum illi sit, quæ mortua
Olim est? Nonne etiam in templis sacris, quam colunt
Auratam, purpuratam, lac habet? lacrymare sæpius
Visa est. THE. Hem! lacrymare saxa quis putet?
Oculos habent, at non vident. Tu contra nunc; Sed flent, ais? (quæ
At ora habent, nec verba faciunt. SI. Vera sunt profectò
Memorat. quid facio? mi vir, dic ergo, quidnam ago
Cum balsamo? ST. An tu huic credis quæ dicat sacrilego? THE. Non ego
Dico, ne irascere anus. Deus sic per suos
Vates olim dictavit, Moysæ verba sunt.
ST. At hic item propheta Dei manifestò erat.
SI. Futura noverat prædicere. THE. Hoc illud est,
Quod de Antichristo Apostoli

Vatici-

Vaticinati sunt, illi datum iri, ut homines falleret,
Potestatem atq; vim futura prædicandi: at interim
Miseros seducere mortales, monent, mala semina spargere.
Nam, hæc quam bona credas semina ex hoc videris, quod
Spiritus
Sanctus contra omnia dixerit, atq; etiam ipse jusserit
Illos cavere, qui Christum hîc atq; hîc fore falsò prædicèt,
Falsos prophetas, qui villis ovium ungues luporum pallient,
Rabiemq; foveant, etsi in Jesu nomine etiam dæmones
Subigere possint. Hi vobis cavendi erant. SIM. Verum
est. Deum
Benignum, ingentem hominis scelesti audaciam!
Abjcione hæc venena? THE. Planè. SYR. Minimè,
quin da mihi, nisi
Tu vis. SIM. Non audis, stolida, illa esse somnia
Hominis maligni? Illic jaceant. At te, vir optime, nunc
Deus tibi hanc rependat operam. SY. O Jupiter; (amo.
Sic sanctum tractari? SI. Tace; scio te bonâ
Voce esse. tace. THE. Potin' parum ut quieta sis?
Hæc ego tibi
Senex meliora & saniora ex Israëlitico penu
Dabo: Oleum hoc, ecce, & hanc aquam vitæ tibi
Cape. Verbis haud commendo tibi, degusta tantùm guttu-
Unam, virtutem vivificam, illic senties (lam
Ineſſe. SY. Venefice, tun' viros Dei reprehendas? hoc vide,
Quid æmulatio facit? At faxo tibi non multum loci
Nugarum detur, sine me modò. Nam ad milites
Papæ, hæreticorum exustores curriculò curram, ut
indicem

Te illic.

Te illic. SIM. Mi vir, Deus tibi
Quidvis dici salutare potest, reddat, qui vitam meam
Ex istius lupi voracibus dentibus,
Tanta pietate eripueris.
Vel hæc tam non ingens guttula, quàm ingentem vim
O nunc Deus dissolve servulum tuum (vitæ sapit!
Ex hisce vitæ hujus mortalis vinculis: nunc si placet
Tibi, lubens moriar: quia anima guttam vitæ æternæ meæ
Percepit. THE. Dominus hoc boni
Quod in te cæpit perficiat. Progrediar, ut populo amplius
Mala hæc dissuadeam. SIM. Tecum maneo, hodie te
non deseram,
Quò quò ibis. THE. Non opus est. Sed quid turba hæc sibi
Sermones ordiar, fraudem istam ut tetegam. (vult?
SIM. Mane, dum clamor conticescat.

ACTVS III. SCENA VII.

SYRA. THEOTIMVS. MILITES.
SIMO. BELIAL.

HIc ille est, qui pessimè
Ad satietatem sancto illi dixit viro
Dei legato, à quo hodiè tot bona universi accepimus.
Moriemur, hoc si impunè amittemus, viri. Quin impetū
In illum facimus? Rapite hæreticum, quadrupedem
constringite.
At ut manu sceleſtâ imperiū usurpat! Etiam audet scelus
Nobis præcipere; ut vociferat! Statis? quin irruitis pigri?
THE. Injuria hæc quidem est cives; quid feci? quid
dixi miser? Quam-

Quamobrem mihi hæc? MIL. Blasphemus, Lutheranus
etiam rogat? citi
Rapite, vincite; extra urbem saxis obruite. SY. Igni
incendite,
Imo Vulcano infelici date. SIM. Quid hoc rei
Cives? ne vim facite. MIL. Et tu ex illis unus es?
Rape hunc Labrax. & hic hereticus. THE. Obsecro,
Audite paucis. MIL. Quid paucis? multis tace,
Os istud blasphemum opprime. SI. Obsecro, sic senem?
MIL. Taces hæretice? SI. In jus voco vos. MIL. Vah
jus sibi
Hæreticus postulat! SI. Deo ut visum erit, patiar.
MIL. Jus hoc tuum:
Hem vapula verbero. Rape, rape Dromo, extra urbem
ignibus
Comburantur. Proh! restant; agite, tundite.
SY. Illi ad flammam rapiuntur. Sic omnes decet
Vaniloquos Lutheranos exstirpari ex agro Ecclesiæ.
Ibo, ac Mariæ virgini & ejus filio agam gratias,
Quod hos per me indicari voluit fanaticos.
BEL. I, rectam instas viam. Te amo meum optimam
Anum. Sic omnes in flammam istos protrahi
Oportuit; Sic istas sorores veneficas
Mox mox item tractabo. Ast hic hic res mea
Agitur. Præcurram, ignem excitabo, ut hostiam
Hanc rectè satis cremam. Satis hostes sunt diu.

ACTVS IV. SCENA I.

ONESIMVS.

Recorda-

Recordatus multùm & diu cogitavi,
Hominem cujus rei, quando natus est,
Similem esse arbitrer. Id reperi jam exemplum:
Speculi politi esse arbitror animos hominum
Similes, quando nati sunt; idq; ut vobis
Verisimile efficiam, enitar argumentis:
Speculum, quascunq; imagines oppositas
In sese recipit, ac refert; ut corpus est,
Sic ipsa imago item est. Hoc nemo vestrûm
Negat. Respicite nunc ad hominis animam:
Nos Christiani in hisce terris Christi
Virtute sumus; sic nati, sic educti,
Edocti, ut animis est imago opposita
Religionis, sic illam pueri hausimus,
Expressimus. Contrà, quos sævi Turcæ
Produxere, illis itidem suam impietatem
Et barbaros cultus impresserunt. Vera
Hæc esse ipsi probatis, & res auctor.
Porro, utut bene eductus sit homo, nisi illic,
Ubi est eductus, perpes maneat, si quâ
Ad exteras gentes veniat; haud diu illa
Imago hærebit; aspiciet alienam,
Induet alienam; ad Turcos rigidos ibit,
Turcus, referet Turcorum relligionem;
Nisi planè speculum illud sub pectore alto
Aut obligârit, aut planè viciârit.
Sic inter Christianos varias sectas
Accessu suscipis, recessu deponis,
Variæ hærent hæreses, si varias spectes.

Atq; hoc, ne erretis, ut natura humana
Fert, dictum volo de mente hominis; quos autem
Dei Spiritus formabit, firmabitq;,
Mens horum, etsi aliàs fluxa, tamen immota
Virtute spiritus consistit, atq;
Ceu rupe solidâ nixa, fulta arx constat.
Quin & mali, sæpe ex Satana immoti sunt.
Sed dum vobis operam hanc do, meum deserui
Officium. Philargyram video exire; illam
Cum virginibus reliquis ad nos vocâram.
Apud heram nostram consilium est coactum,
Credo, hanc rem eandem agent; ut multæ ex illis
Multas sectas alunt. Hæc ut sciretis
Ubi fiant, dicere volui. Nunc valete.

ACTVS IV. SCENA II.

PHILARGYRA.

Mitto plorare; illud, quod perijt, lacrymis
Reddi nequit. At me infortunatam & omnium
multò maxumè
Infelicissimam! ille sacculus, quem mihi sacer Dei
Interpres in foro dedit, transmutatus est,
Pro argento stercus redditum est. Proh me impiam,
Omnium irreligiosissimam! ah! non fratribus
Carthusianis me oportuit numerare, ut debui? parum
Lucri, hei mihi! quantum bonorum abripuit. Solvite
posteri
Vestra vota; divi suum exigunt, falli haud volunt.

O fors

O fors fortuna, ut nunquam perpetuò es bona!
Ut modò spe extollis, modò sub sortem imam abjicis!
Sed nulla ærumna sine comite molestia est:
Hoc perdidi hinc, aliud quod teneo hæreditariò boni,
Servare dum studeo, à sororibus avocor
Nescio in quod consilium. Animi crucior, cum ab domo
Abeundum mihi est sub vesperam.
Misera disrumpor, nisi servare licet meum satis bonum.
At prius inspiciam, sitne integrum uti condidi.
Sed satis me circumspiciam, ne speculator aliquis improbus
Me observet. Nemo est; etiam hîc est? cæcos velim
Omnes mortales. Etiam rectè dispiciam, in platea an hac
Tota aliquis lateat. Nemo adest. Tacitè ergo nunc
Ingrediar ac visam, At quis hic intus strepit?
Quis est? annè aliquis hic domi
Latet? miserum aurum, insidias magnas sustinet;
Non mirum, si pallet, quod omnes appetunt.
Etiam speculabor. quin tutum est, atq; ostium
Sat munitum est. Accedam ergo huc, ad hanc meam
Animam, atq; promam. Hem salvum id est!
Respiravi! cum tu anima salva es, salva sum
Et ego. deosculare me; hoc cape osculum.
Ah! quàm te custodire velim, tecum mori,
Tecum esse in cœlis. Veni, veni, mecum hinc abi,
Mecum tu sis, tecum ut quoq; esse ego possiem;
Mecum feram te, quoquò eo. Nunc exeo
Ad consilium, postquam te, delicias meas,
Salvum atq; incolume, gestito. Huc sub pallium

Te absconde, ne quis impostorum te queat
Aspicere; etiam te absconde, etiam hinc ad uberæ
Descende penitus. Nunc & tu, atq; ego vivimus
Tutæ. Sed video illic sorores, sortè me
Solam exspectant. At Dyserin etiam alire video;
sola non
Ego tarda sum. Properabo, ne postrema sim.

ACTVS IV. SCENA III.

DYSERIS.

Combustas hæreticas velim omnes. Quin modum,
Tandem excutiendi almam patrum pietatem
Facient? Nam, nisi nunc desinent maledicere,
Faxo illis fiat itidem ut hisce factum,
Quos mox cremarunt. Nimiùm ego istas æmulas
Odi. Anguem, quàm hasce, ferre malo bastias.
Sed, gaudeo malè eas animatas esse
Potius, quàm rectâ si relligione
Imbutæ mihi meum sponsum præriperent.
Ibo, dicam, ut sacrosanctæ Ecclesiæ antiquæ,
Romanæ se adiungant; ni volent audire,
Quod spero fore; nihil est, cur non eas ad
Inquisitores hæreticæ pravitatis
Continuò deferam. Atq; eccas, quas malim
Ardentes, quàm argumentantes videre.

ACTVS IV. SCENA IV.

THEOPISTA. DYSERIS. PANALETHA. TAPEINOphrona. PHILOxena. ELPOmena. PHILARgyra.

Vobis, sorores, quæ unà convenistis, habeo gratiam,
Quod non supinè causſam nostram agitis; beneque
quæq; haccine
Re agitis; Deoque rem gratam, & Reipublicæ
Juxtà ac sacræ, nostræ, salutarem facitis DYS. Salvere vos
Jubeo sorores, quid sit? THE. Salve Dyseris, gratiam tibi
Habemus, quæ non nostrum aspernata es colloquium;
At cæteras,
Quæ nos contemnunt, Deo relinquimus, qui eas
Ad meliorem frugem corripiat misericors.
Ut autem causſam, cur vos accersi, sorores, jussimus,
Dicam: Videtis, quo in loco res sit: Nullus est locus
Vitæ amplius relictus; omnia, mare, terra, dæmones,
Homines q;, (proh dolor)! in nostrum exitium conspirare
Ipsa adeò nostra viscera (lacrymas mihi (arbitror:
Eliciunt, quoties cogito,) quas
Sorores esse decebat, nostræ vitæ struunt,
Mala quærunt; & facient, ni Deus nos proteget:
Ita Babylonia
Eheu! sceleribus suis in capita nostra regum vim attrahit,
Tyrannorum operam flagitijs meretur, qui veram fidem
Et pietatem, nosq; infelices omnes exstirpent malè.
Nam, legite amabò leges has, quas hodiè pro concordiæ
Sacramento fixit, quas nulla alia de causſa condidit,
Quàm ut causſam reperiat, quâ nos quovis jure aut
Pro anathemate in flammam auferat, (injuriâ
Deo omne imperium extorqueat; ipsa dum impia est,
Vult omnes impias. Usque illud verum manet:
Malus bonum malè esse vult, ut habeat sui similes malos.

Miseræ, quid ergo facimus? Quid consilij capimus? omnium
Odium sumus; à nostris mors, certa mors manet.
Nec reliquæ sorores prodeunt: Hypsiphile quidem adhuc
Nobiscum faciebat, sed nimium postea
Nisi monstrorum aluisset sub sapientia
Ista elata: ubi divinæ essentiæ profunda scandere,
Mysteria sacrosancta Dei negare, quæq; plurima
Horrenda, tentat, sese oblectans: mavult stultitiæ suæ
Quàm Deo auscultare & assentire Ecclesiæ.
Misopona pigritat. pax, pax, concordia, occantans: quasi
Pax esse filijs Dei possit cum Belialis filijs,
Cœlumve terræ misceri; longè verò virgini ac lupæ
Mores divortunt. Itaq; nos miserrimæ,
Nisi satis prospicimus, nisi Deum oramus, sumus.
Quare etiam atq; etiam vos obsecro
Sorores per amicum nostrum communem Christium, atten-
Hoc agite, quò prævemiatur huic malo. In (dite,
Commune consulite, quid faciundum siet.
Dic ergò Dyseris, quid facimus? quid tu nobis autor es?
DYS. Ego, sorores, si audire vultis, bonâ fide
Illud, quod assiduo soleo, vobis suadeo:
Capiti nostro obsequamur, cujus vera & antiquissima
Est religio fidesq; prisca, à patribus
Et Apostolis accepta; cur hanc nos respuamus, non queo
Videre. THE. Tu ergo concedendum existimas?
Theses blasphemas approbandas? Fidem, Deū, sacra omnia
Sic deserenda? DYS. Qui fidem, Deum, sacra?
THE. Dicam, quiescelum. Sed tu Panaletha dic
Tuam sententiam. PAN. Ego quod in rem nostram sit,
fieri velim. Sed

Sed non tamen in nostram, ac sacram, rem, plus consuli,
Id Christianum est. Nam quis hæc portenta in istis legibus
Producta, non pius execretur? Tantum hominè sibi sumere,
Ut præ Dei verbo suis somnijs fidem planè arroget?
Nam, ut cætera mittam: Dic soror: utri, an non Deo,
Magis credendum, an hominibus? Deo, putas, ut censeo.
Negas? Daviden audi, qui quidem sic ait:
Omnis homo mendax. Jam, mendaxne an verax plus
fidei meret?
Deus certè mentiri nequit neq; fallere.
THE. Benè & piè hoc soror. DYS. Nihil ergo Ecclesiæ
Sacrosanctæ Catholicæ credendum? PAN. Haud nego.
Credendum, at ipsa quoad credit voci Dei.
Nam non audio: Verbum Dei ab Ecclesia
Fidem mutuari. Quin Ecclesia Evangelij unius
Progenies est, auctore Paulo, qui suos Corinthios,
Suos filios, per Evangelium ait satos.
Quid ergò? Non illud meum tibi tam dico, quam tuum
Vestrûmq; dictum: Filia quæ præter quam mater sapit;
Nequam est. Ecclesia est verbi Dei filia.
Ergo quæ Ecclesia plus sapit verbo Dei,
Nequam esse convenit. Romana Ecclesia,
Plus verbo Dei sapit; cui fidem vult adhuc mereri.
Ergo adeò nequam est plurimum. Quid fallo? DY. Non
Curamus hæc sophismata; nisi aliud sapis.
Ibo, illi hæc indicabo cum periculo
Tuo atq; harum omnium. THE. Manè,
Quo abis? mane. DYS. Imo omitte mè, THE. Non
faciam. PAN. Irascere? non decet.

DYS. At scin quàm iraſcar? verbum unum ſi feceris!
THE. Heu heu, mala augeſcunt! PAN. Non facio,
quanquam vera ſunt tamen.
Dic tu ſoror Tapeinophrona. TAB. Ego Philoxenam
Prius arbitror THE. Dic ergo tu Philoxena.
PHI Mene vis? Equidem Panaletham ſedulò dicere &
piè arbitror.
Nec quicquam falſi afferre. Ergo illi aſſentior,
Etiamſi vita amittenda ſit. Sed Dyſeris
Miror te tam relligioſam adeò hoſtiliter
Hanc rem agere amicitiæ quærendæ cauſſâ ſuſceptam;
hoc, ſoror,
Concede, amabo, ut amplius rem ediſſerat.
Poſt, ſi quid erit adverſi, id tute indica.
Illud ſororium, & pium eſt. TAB. Imò ſoror,
Sic obſecro agite, amicè rem decidite DYS. quanquam
injuriam
Catholicæ Eccleſiæ fieri iam ſenſi; perpetiar tamen,
Si oratis. THE. Age, ſic nos decet. Dic ergo, quid de
Videtur Panaletha? PAN. Dixero, (cæteris
Etſi hanc video ægrè ferre. THE. Non fert. PAN. Siferat;
Tamen ſi veritas ferat, ſit ægrius: Miſſam inſuper,
Quàm ſacrilegè invexerint, verba ipſa ſatis id indicant:
Nam Miſſam à Jacobo factam eſſe, vanum id eſt,
Ne gravius dicam: Siquidem is jam tum, cum Baſilius
Trecentis annis ante fuerat mortuus. viveret,
Quomodo ergo mortuus cum vivis Miſſam celebrarit?
DYS. Sed heus,
Ingredere ſacrum; imagines omnes loquuntur, dictitant,
Matthæ-

Matthæum Evangelistam in ara illam celebrantem à barbaris
Cædi. Viden' nunc Missam ipsis Apostolis
Celebrem fuisse? PAN. Heus tu, ingredere scripturam; nusquam scribitur
Matthæum illam celebrasse; aut si quid fecit, id non Missa erat
Vestra, ut nunc deliratis, sed Domini modò
Cœnam administravit non rarò; id novimus.
Aliud verò Dominicam cœnam, aliud dæmonicum cœnum, item
Tu noveris esse. Nam cur illud sacrificium, quo semel,
Semel ipse Christus, teste Paulo, in crucis ara litaverit,
Patremq; placaverit æternâ victimâ,
Nos toties postulemus reddi? Deus enim
Æternùm illo acquiescit, nisi forsan neges
Sacrificium Christi pro peccatis omnibus
Hominum omnium satis esse. Et illud si negas,
Ut non obscurè in thesibus bis Babylonia,
Meritum laudemq; Christi tollis, Christo & pijs Apostolis
Cunctæq; Ecclesiæ stei, contraria es,
Ab Antichristo nihil abes. Nam Christus est
In quo Pater sibi complacuit; quem tibi
Mihiq; omniq; mundo, quem audiamus, dedit.
Hunc non auditis, Patri obtemperare haud vultis. reliquum est,
Ut Antichristi sitis. Purgatorium eòdem deputo.
DYS. Hem! PA. Mane, nondum audivisti, quod erat caterum.

Mane! dicam, DYS. Tune Antichristum matrem Eccle-
siam feras?
PAN. Satis quid dicam, audi, & responde prioribus,
Quæ si mihi cedis, facilè salvum est, quod loquor:
Cū Christo doceat, cū Christo oculis hisce erit mihi carior.
Nunc cum Antichristo docet, est ergo cum isto cane con-
DYS. Egone, ut non illi hæc indicem? (temtior.
Pol in fumum abies, quæ famam nugis tuis
Et maledictis tibi quæritas. THE. Quid nunc rei
Agis? Nos infelices, siquidem in hunc locum
Sumus redactæ. PAN. At non facies tu, cum tuis
Minis, ne ego vera prædicem. Tu, si vana sunt,
Cur non rationibus sanioribus indicas, ut corrigam?
THE. Aliàs agendum hoc arbitror, & videndum, si
quando queat
Ipsa adduci Babylonia, ut frequens unà adsit. PA. Censeo:
Et cæteræ sorores, quod potest, accersantur. THE. Satin'
Illud placet tibi Dyseris? DYS. Faciam, meum
Quod est, ad ipsamq; Babyloniam deferam, (cimus
Quæ dicta sunt omnia. THE. Priùs cum ipsa præsente di-
Acturas; tum, si non illi id placebit, sat resciverit.
Nondum id placet? DYS. Hæreticæ omnes estis. THE.
Sic simus, sine;
Nobis nostram hæresin relinque, nos tuam constantiam
Tibi non exprobramus. Christus judicet
Causſam nostram DY. Ille judicet. PA. Satin' ergo erit,
Si ipsum arceßamus arbitrum? DY. Domum abeo. Nunc
Concubia est. Quid scelestius hæretico cogitari queat?
Qui dicta sic mendacia

Exornat,

I o nat, ut vel ipsi Deo ea refellere impotentia
; & tamen est haereticus. THE. *Miserius nihil*
ci po est, quàm Veritas; omnes desertam, omnes malè
Exosam fugiunt. ELP. *Mea soror ne caussâ illâ demum*
time;
Abeant malæ, fugiant, nos solas opprimant;
Ad Christum per mortem tutum receptaculum est;
Post mortem nihil est, quod metuamus amplius.
Hoc optimum est sorores; & spero vos idem
Sentire. PHILAR. *Non ego sentio, Babyloniam*
Sequor, quæ à patribus pietatem & sacra accepta possidet.
Vos si nova vultis, vestro sit periculo.
THE. *Mane, ne abi, atq; audi.* PHILAR. *Quanti est*
discriminis,
Sectas adire! vix me hinc exsolvi; nihil
Quod contradicere possem, habebam. Sed quia
Novitatem amant, pericla, damna, odia omnium,
Exsulium, ignem, crucem certam, evitare volo.
Magis meum aurum me attinet, quàm hæc omnia;
Quod amittendum? valeant. Valeat hæresis,
Quæ cum tanto timore quidem conjuncta sit.
Hæc prospicienda, haud sola ante pedes posita. Sed
quin me domum
Ago? diu absum, ætatèm exsul jam videor esse, au-
Ingens, populi mores scio: (dacia est
Furantur, rapiunt, insidiantur, nisi siet
Aliud, nisi aurum; ædes vereor, ne mihi auferant.
THE. *Planè desertmur. Numne vos eodem animo estis*
cæteræ?

PHILO-

PHILO. *Alias nescio, nisi ego pro veritate non vereor*
mori.
Quod tuum consilium Tapeinophrona? TAP. Maxima
Injuria sit, metu malorum auellier
Ab illo, quem cruciatus nullius mali
Unquam à nobis sejungere potuit. Quin fiemus viriliter,
Magni mors illa erit Deo, si sic moriemur. Omnia
Siquidem mala Christum diligentibus bona
Sunt. Perseramus; magna bona posthac manent.
Elpomena idem ait? ELP. Planè soror, nisi aliud est
Relictum; Christus sponsus noster mortuus
Pro nobis est immeritò, causâ salutis nostræ; meritò erit,
Si nos pro amore ejus moriamur, cum volet,
Cum certè moriendum olim fuerit, etiamsi corniculas
Ætate superes; ne causa hic sit, cur refugias gnaviter
Blasphemo ori resistere. Neq; nos sorores terreat
Flammæ vis & magnitudo, non cohors militum;
Una aliqua pruna cor exuret; telum unum exstinguet;
timor
Vanus est, pericli magnitudinem in morte revererier.
Facilè exstinguunt corpus; sed animam exstinguere
Arma omnium hominum nesciunt, non flumina; verùm
è vinculis
Et carcere hoc mortis dissolvunt, quam Deus,
Noster Jesus suscipiet, & coronâ immortali induet,
In immortali regno statuet. Huc nos oculos vertere
Decet, sorores, hæc nobis proponere, sperare. O Deus,
O Jesu, cùm placet tibi, fac, mitte, qui causâ tuâ,
Vel nunc me occidant; tibi vivo, tibi morior, qui à me tuo
De amo-

De amore distrahat? Non mors, non luctus, luxus, gaudia!
Tibi gloria, laus, qui me, quam ames, dignam æstimes.
Mactè ô sorores, quid nos adversi opprimat?
State, offirmate, coronam, connubij decus
Sperate, sidus est Deus noster, tandem, tandem juvat.
PHI. Ut nos soror, tua dicta firmant! certum est ergo
Mala hæc, quæ bona sunt. Agimus illi gratias, (perpeti
Qui hac nos re dignas deputat. Abeant malæ
Nos deserat; unà hîc nos maneamus, dum Deus nos liberet.

ACTVS IV. SCENA. V.

MYSIA.

Nunquam mecastor ullo die risi adæquè,
Neq; hoc, quod reliquum est, plus risuram in vitâ
Opinor, atq; mox factura sum; nec
Fallaciam pejorem ullus poëta fecit, atq;
Ut hæc est fabrefacta à nobis: Larvatum
Cum face progredi quàm exoptem militem!
Proh stultum mercatorem istum, qui se quidem
Sic in sepulchrum vivum detrudet miser!
Tum autem ille monachus ventriosus, quam citò
Ex asino fiet angelus!
Is adeò furcifer crucem cruciabilis
Tenebit, & sepulcro isti in quo illic jacet
Caudex mercator exanimis, custos erit,
Ne quis cadaver auferat. Veniet tertius,
Rapto potens, magnus miles Hispanus, raptor hostium
Gloriosus; is condignè suam faciem induet,

Cacadæ-

Cacadæmonis personam agens, sepulcrum hinc jussus
Ille alter genius officium faciet suum (tollere.
Depositum illud servabit ignarus; ferox
Amore miles percitus istuc nititur
Auferre; monachus huic resistere; mox manus
Conserta res agitur. Quod ubi demortuus
Ille, ut simulatur, prosilit, sese illico
Quantum potè è sepulcro in pedes conjicit;
Alij duellatores subitò mortuum
Resurgere veriti, unà aufugiunt. Heu gnaviter
Rem visu lepidam! dignam istis nebulonibus! Nam
Ex vivis mortuos, ex asino angelos, (sic amor
Ex homine dæmones facit! Amor quid valet!
Sed ipse prodit propè sepeliendus, miser.
Tristem video; mortem horret, testamentum, puto,
Moriturus condit, ita meditabundus venit.

ACTVS IV. SCENA VI.

MERCATOR. MYSIA. MONACHVS.

Credo ego amorem primum apud homines carnificinam commentum.
O urbanæ facies! quò ludificatis, fugatis,
Appetitis, retinetis, jactatis! Sed certum est efficere id
Quod imperat Babylonia: Si se amem, inquit, ut
Sepulcrum hoc, quod mihi significavit, ne quis
Furetur, custodiam saltem unam horam. Credo
Fidem meam tentare vult, quid facturus
Sim, anne etiam obtemperaturus. Dura res est.

Amor

Amor compescit durior, ut vel sub cæcum
Orcum repam. Et quid aliud relictum est? Hem nunc
Quæras nobilium amores, serò sapies pol,
Frustrà. Huc age descende ergo in orcum, irrepe
Huc in sepulcrum. O hos cavete homines lectos,
Cavete scorta potentia, quibus cum optetis
Accubare, prò thalamo, tumulo, pro scorto morte ample-
Ploretis. Horreo aspiciens lectum. Deum (xati
Timeo, ne verè occidar. Hei! hei! audaciam!
Audendum. Age irrepe. MYS. Irrepsit, sepultus est.
Nunc angelum custodem exspecto. Ac commodè
Adit. Huc concedam, ut ludos spectem, quos heræ,
Ut jussit, quomodo sint dati, renunciem. Quin comprimo
Linguam? aurium fenestras patulas reddam. Fortasse
Mortales angelo; austerum vultum obtinet. (haud placet

ACTVS IV. SCENA VII.

MONACHVS. MYSIA.

Idem est amator meretrici, qui piscis solet
Piscatori: In fluvio cum is est, escam objicit
Piscator; haud grave est, paulùm dispendij
Si facit; mox occultum sub esca hamum quoq;
Emittit; piscis inscius glutit, miser
Mox pendet, mox in nassam, in assam denicq;
Escamq;, redigitur. Pari Babylonia
Amica mea me mactat infortunio,
Alliciendo, indulgendo, in vincla adamantina
Conjectum omni malo afficit. O perfide,

Amor

Amor! qui quantò coleris ſtudioſius,
Tantò minus reddis fructuum. Hæc tua merces eſt?
Fundus damnorum es maximus, primâ quidem
Segete luxurians, meſſe calamitoſus es,
Minus minusq; fers, dum planè deſeras
Cultorem; ſexcentis tantis minus reddis quàm eſt obſitum.
Neq; ergo quisquam eſt, cujus tu fuiſti ager,
Quin peßimè ei res vorterit, quin ipſum planè evorteris,
Moresq; moros, & moroſos feceris,
Egeſtatem, famem, ac infamiam inuſſeris,
Morbos mortesq; incuſſeris, Hæc niſi nunc ſatis
Compertus loquerer, haud alij concrederem
Ploranti. Nam, quid reſtat, quin mihi omnia
Pericla ſint in mundo, qui hoc noctis crucem
Geſtans cruciatus ſolus ambulem, perſonâ hac angeli,
Nec vim hominum pertimeſcam, ne quis me opprimat,
Neu vigiles hinc in carcerē me compingant, ubi commodè
Pro lecto luctus, virgine virgæ, pro puellâ, numella, pro
Amica manicæ maſtigiæ, pro cœna in cœno pœna, ſit.
Jure id mihi omnes factum dicant. Quod ſi Deus
Iratus mittat angelos aut dæmones
Malos, qui me occidant? qui me! O tuam Deus
Fidem! Numnam ego perij? Fuge, Diabolus venit,
Facem gerit; haud duro. At me miſerum! manſero.
At abripiet me! Atq; ego me ſanctum dixero
Genium. Heu, facem quatit! nimium irarum vomit!
Crucem hanc ego capiam. Nam pium me eſſe expedit.
Ut brachium jactat! Proh, non maneo! At poſt tamen
Amore moriar, niſi potiri nunc licet.

Facem

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn880291877/phys_0082

Facem majorem in corde gesto, atq; hæc, quam gestat
ille, sit.
Sepulcrum hoc obsidebo, & contrà fortiter,
Quæ dicet, obloquar. Occidi, nisi nunc Deus
Me respicit, nisi angelo me liberat!

ACTVS IV. SCENA VIII.

MILES. MONACHVS. MERCATOR. MYSIA.

Hoc illud cœmiterium, nisi fallor, est,
Quod mihi mea Babylonia monstravit modò;
Sepulcrum ubi esse dixit, in quo mortui
Hominis cadaver; hoc ut adferrem sibi,
Opere me oravit maximo. MON. Loquitur, perij!
MIL. Quæro id sepulcrum ubi est. MON. Me quærit,
occidi!
Non fugiam. Hei! obsecro, visus sum! MIL. Hic, hîc,
id est.
Video sepulcrum, accedam tacitè. Quid hoc? homo
Hîc est, me prohibebitne? Ego, si mihi verbulum
Faxit, faciam, ut cum dentibus linguam exsuat;
Face hac illi os exuram. MON. Interij! exurere
Me minitatur! jamdum satis exustus ex
Amore sum. MIL. Sed, ubi legiones meæ?
Proh Jupiter! occidi! Angelum video, non hominem est.
Fugiam hercle, an non? Receptus ad amicam haud erit,
Nisi imperata facio. At quid faciet mihi hic?
Virtute belli armatus promeruit, ut mihi
Omnes mortales deceat agere gratias;

Nunc hasce larvas fugiam? Accedam, & quod volo,
Cadaver tollam. MON. Venit. Deus! ô Deus tuam
Fidem! MIL. Quid hîc tibi mortalis, mortuos
Curatio est? taces? tremis? MON. Heu! MIL.
Nihil ais?
MON. Contrà increpandum: Quid tibi hanc rem
quæstio est,
Larva? MIL. At scin' quid mihi quæstio? miser!
Armis arte duellicâ
Æternam adeptus gloriam, cui tu malè
Dicas? Quid vis tibi? scire volo. MON. Quod tu
nescis? MIL. Ain'?
Quin cedis? scire volo. MON. Nisi cesseris tu, scire
non potes.
MIL. Etiam tu oblatras mihi? Hoc cadaver auferam.
Ergo ut sis sciens:
Divum atq; hominum, mortalium atq; immortalium
Imperator, terræ atq; Acherontis dominus hoc tibi imperat
Per me, ut mihi cedas hoc cadaver, qui sibi asportẽ, ocius.
Scire hoc debes. MON. Quod tibi nomen, Dictator,
quem te prædicas?
MIL. Egone? Bombomachides Cluninstaridysarchides
Exercitus stygij imperator, summus Neptuni nepos,
Militiæ quondam ductor, quando Laomedonta Hercules
Exsuperabat viris & viribus invictissimis; ibi
Ego hac manu armatâ Herculem illum duellatorem
maximum
Nisi crebrò tegerem, haud expugnaret Ilium.
Laomedonta ipsum, fortem ast infortunatum regem ego ex
Equo

Equo dejeci; reginam, atq; virginem
Priami sororem rapui, & Amphitruonis gnato Hercli dedi:
Et quæ memorare tibi me pudet. Quapropter, ne nescias;
Quem, quantum, hostem habeas; nisi fugis, mox pro
laterna te habuero.
Facem hanc in te abscondam. MON. At bellator, ne quoq;
Tu me ignores: Me Jupiter optimus, maximus,
Olympi, terræ, tartari, immortalium
Juxta ac mortalium, vestrúmq; moderator, suum angelũ,
Hoc ut cadaver custodirem, huc ablegavit, militiæ
Cœlestis ductorem Michaëlem, hostem ac domitorem tuũ.
Atq; adeò, ne me meumq; imperium nescias,
Ne non dictum tibi dicas, dico, edico, atq; impero tibi,
Ne quoquam quicquam horum, quæ tellus hæc tenet,
Attingas, atq; ut te hinc amoliaris citò,
Quid hoc? MIL. Quid? Regibus feci, ut mihi obtemperent;
Hic nunc umbraticus minitabitur mihi?
Mexq; pugnæ præliares plurimæ obtritæ jacent?
Atq; ita me clypeus & machæra & catapulta benè adju-
Pugnantem in acie; nisi mihi nunc conceditur, (vent
Jam jam te faciam, ut hinc formicæ frustulatim differant.
MON. Ita me mea pietas, ita mea crux nunquam
juvent,
Nisi ego cruce hac tibi cruciatum magnum affero,
Nisi hac caput tuum commitigavero. Et cesso? hem
tibi! hem!
Vapula. MIL. Proh! sic decet? MO. Sic, sic decet; væ tibi.
MIL. Væ capiti tuo. Hem tibi hoc. MON. Væ mihi!
MER. O Jesu, Jesu, serva obsecro,

De capite meo hîc pugnatur. Væ, væ, mihi! vivum me deferent
Ad orcum. Quò fugiam? Ah! ah! MON. Jesu, mortui
Resurgunt; fuge, fuge. MIL. At, at, perij! MON. Deus resuscitat mortuos,
Judicium extremum dicetur. Quid nunc fiet? Væ, væ, mihi! O
Si nunc cælum ruat. MYS. Ha ha hæ, ut vos omnes Jupiter malè
Perdat dementes! Ecce ut diffugiunt. Ah! risu diffluo,
Hæc spectans. Ut pulcrè demulcebatur militi caput!
Ut monachum illustrabat fax illa commodè! ille hinc mortuus
Exanimis è sepulcro exiliebat. Sed ubi Babyloniam
Heram inveniam? ut spectaculum hoc ei nunciem?
Quam nuncio hoc lubentiorè faciam, quàm Lubentia est.

ACTVS V. SCENA I.

THEOPISTA. ELPOMENA. TAPEINOPHRONA. PANALETHA.

Pulvis, quo magis exercetur, eò se magis (magis
Diffundit; haud aliter sunt hæreses, preßæ crescunt,
Magisq; sparguntur; victæ vires virusq; colligunt.
Sed, quid facimus nos hisce inclusæ periculis
Sorores? desertæ, morti expositæ sumus,
Nisi leges acceptamus, quod nunquam fiet. Mihi quidem
Si pauculas dies ad deliberandum adhuc
Petamus, æquum videtur. Vos dicite vestram sententiam.

ELPO.

ELP. Quid tibi videtur Philoxena? equidem non malum id (magis
Puto. PHILO. Si alijs item; verùm ne quid fiat subitum
Quod pòst minus factum optemus. TA. Æquum & bonum
Hoc est; & impetrabimus, spero. PAN. Eadem mihi sententia est.
Et inde conveniendi Babyloniam
Fortasse dabitur copia. THE. Nox media est, ego
Dormiturio, somnum hisce multis noctibus
Non vidi. PAN. Si vultis, somno nos paululum
Reficiamus. ELPO. Verùm ne nos charissimus
Interea sponsus deflentes opprimat.
THE. Faces oleo instruamus, ne quid sit, si vocet,
Quin promtas reperiat. PA. Benè! Et mea, quod potest,
Instructa est; atq. ne me oleum deficiat, seriam meam
Nunquam patior ne plenam oleo habeam sedulò
THE. Venite in cubiculum. ELP. Sed heus tu Lesbia,
Si fortè amicus nos velit, quod tu audias,
Ne nos socordes reperiat, nos suscita;
Hìc dormiemus; PAN. Verùm aliquo prius carmine
Carissimo Jesu agere gratias decet,
Pro cura & tutela divina. THE. Bene mones;
Libellum istum cape, & de cantiunculis,
Quas ipse nobis fecit, quære unam piam.
PAN. Hem, amorem ejus recolimus. THE. Euge concinamus sedulò:

CHORVS SORORVM.

Illas ego, illæ me colunt,
Quæ mi fidem probarunt,

Quæ legibus meis agunt,
Quæ se mihi exornarunt,
Mihi ſtudent,
Mihi placent:
Quas de grege
Hominum elegi
Pulcerrimas gnatarum,
Jeruſalem quas educat,
Matrum labor piarum
Mihiq; dedicat.
Ecce, ut decora es, cor meum,
Amica, flos juventæ.
Quale inter herbas lilium,
Tales meæ in puellis
Sponſæ caput
Pulcrum efferunt,
Tales nitent,
Tales vigent,
Tales mihi expetivi.
En ut venuſta prorſus es,
Vitâ magis dilecta!
Veni in meum hortulum.
Edico vobis omnibus
Jeruſalem coloni,
Ad me meis euntibus
Ne quid reſiſtat veſtri.
Et vos feri
Adulteri,
Vos æmuli,
Si quid mei

Tangetis, interistis.
Venite, formosæ meæ,
Vobis thorus paratus
Stat ante secula.
THE. O suavem cantionem & jucundissimam!
Quis dubitet tibi, Jesu unico se dedere?
Veni, veni amate, veni anima nostra, veni, tuas,
Quas tibi legisti, ad te ex miseriis sevoca,
Cedò tuis tui conspectum optatissimum,
Quæ te examamus, servulis! Veni, veni,
Summi patris donum ac decus. Veni ut nos tecum vivere,
Tecum esse uno facias. tibi laus atq; æterna gloria,
Tibi Jesu Christe sponse dilectissime honos, virtus.
CHORVS. Amen.

ACTVS V. SCENA II.

BELIAL.

Actum est, nisi ego grunnitus istos comprimo.
Ita hæc mihi pecuaria Arcadiæ rudissima ruditu
Ructuq; aures obtundunt; lapides hercle sunt,
Silices canunt veneficæ, quibus cerebrum mihi excutient.
Cavebo. Enimverò faxo in fumum sanctitas (nisi
Vanescat: Anseres obstrepentes mactabo, assabo, ignibus
Attĕperabo. Nam hercule nunc rectà ibo ad delicias meas
Babyloniam; illam huc inflammabo, ut has mihi
Stryges cremet, quæ nos nostrosq; indignè habent.
Nam, non feram istas ranarum coaxationes dum modò
Quassationes diræ capiti sint meo.

Sed Hypsiphilen ac Misoponam meas audio
Sermones hic conferre. Oh pulcras virgines!
Veneres meas venustas, delicias meas.
Hinc rursus hisce vulneribus fomenta placida comparo.

ACTVS V. SCENA. III.

MISOPONA. HYPSIPHILE. BELIAL.

Ah quantò te illud operam dare satius fuit,
Ut te exturba hac exsolveres, quam ut denuò
Litem daves; vinci te vides. HYP. Vinci? nihil.
Quin eò illas redigam, ut, quo se vertant, nesciant.
Nova hæc mihi meditata atq; inaudita sunt,
Quæ illis objiciam. Videro, quam me vicerint.
BEL. Hoc proprium mihi est; nam millies victus vicisse volo
Tamen. Hoc virtutis est. MIS. Utrinq; peccatis, pax optima est,
Pax aurea; illa nos decet. Sororium est,
Non de re nihili rixari, pugnas dare.
HYPS. Ita verò mihi? plurimi pol: aut si nihili maximè
Esset; tamen illis cedere nequaquam velim;
Quæ non tenent discrimen inter tres ac unum, mox Deum
Unum faciunt, eundem tres mox clamitant,
Quæ filium Dei ossa & carnem dictitant.
Quasi Spiritus, qui infinitus sit fieri ossa & caro queat?
BEL. Quasi non semen mulieris mihi meum conculcaverit caput?

Sed sic

Sed sic ei calces rodo. HYP. Quasi Spiritus
Esse & simul non esse possit Spiritus.
BE. Minimè; nam & ego non sum nisi nudus spiritus.
Homines verò etiam carnem & spiritum obtinent, quod non Deus
Tamen queat! HYP. O stultissima!
Brevè dicam: Quod non intelligi potest
Credi nequaquam potest. BE. At ego sensi miser.
HYP. Hæc tot vitiosa in uno capite de Dei
Natura credunt, & mecum concordiam
Nectere volunt. BEL. Arenam arenæ. HYPS. Deinde quot monstra in catera
Doctrina alunt: Hominem, renatum spiritu
Adhuc peccare? Quasi Dei opera haud integra,
Perfecta, sint; ut quos regeneret, non novos
Creet animo. Sepulti cum Christo sumus
Per baptisma in mortem, ut cum eo quoq; vivere
In sanctitate & justicia usq; ad exitum
Vitæ possimus. Quid baptismus, nisi suum
Finem obtineat? BEL. Tu hercle tuæ sanctimoniæ
Finem obtinebis. sola scalas admove
Cœlo, tu sola ascendes, ut quæ corpore
Mortis per tete excesseris sola, immortalis sola sis.
HYPS. Hinc ergo ista indigna orta sunt: Quos filius
Dei vindicavit, hos illi rursus jugo
Subjiciunt, servitute principum opprimunt.
Peccata enim à magistratu falsò putant
Exstirpari. Sed Christi id munus solius
Deo detrahunt, & tyrannis adjudicant.

Hem! BEL. Hem verò quis principum jugum ferat? Non
Majestati concedere; hostis meus Dei (est meum
Gnatus tam se humilem præstitit legi principum
Obtemperans; sed me, non hunc sequi, meas
Oves volo. HYPS. Tandem, infantes, qui non credere
Neq; discere possunt, ad Baptismum perferunt:
Quos prius doceri oportuit ut crederent,
Post initiari. Nam qui non credit malum
Damnumq; æternum feret, Proin' sapientia,
Scientia Spiritus requiritur. BEL. Proin'
Ex ore infantium Deo laus non redit,
(Mihi certè nulla) At Christus stultitiam hanc (dolor!)
Cum meo malo magno accipit. HYPS. Has ego perferam?
Hæc impia docentes amem? malim mori.
MISO. Vah occidis me! Quid meâ refert? ego volo
Hanc pacatam vitam sequi; vos rixamini.
Vale. Ah! nimis diu me à requie distulit.
Vah! fessa sum hæc multa audiens, aures calent; edormiã
Hanc miseriam. Heus vos famulæ, ecquæ hic est? lectulus
Stratus facite ut sit, facite caleat. An satis
Dictum est? Ad ravim poscas, si quid expetas,
Sic tardæ sunt hæ cochleæ. Heus quæ me exuit?
Pulvinar illud rectè ut sit stratum vide
Tu. Bellua, quin socco mihi tandem detrahis?
Findor! quin properas? BEL. Findor! egregium sonat.
Hæc mulier, odium hominum, quod ne Proserpinæ
Quidem datum, in grabatis semper vitam agit.
Sine ad me veniat, ego pro lecto ipsam mihi
Substernam; benè mollis plumea, & benè plumbea est.

HYPS.

HYPS. Non edepol faciam, ut hîc cessisse prædicer.
Non audio, quæ ejusdem farinæ est; nisi quod &
Pigra, insulsa, indocta est. BEL. Tu tantò doctior,
Mihi certè. HYP. Frater, cui noctem promiseram
Miserè me exspectat intus. Et me Spiritus
Meus jamdudum rapit, dudum carnem appetit.
Stultæ id sorores pro piaculo putant;
Sed non peccant, quos ducit Spiritus Dei.
Hunc ego sequar. Cras istis etiam os opprimam
Impurum; nunc fieri æquum est, cum Babylonia
Aliunde eas premit, nunc rectè eas opprimam.
BEL. Perge, ut cœpisti, laudo te. Nunc hinc, mea
Proviso, quid agat Dyseris; cum qua mihi
Si litigandum, vereor ut subsisterem.
Atq; illa jam stertit. Mirum, quî possiet
Dormire, quæ noctes totas delitigat.
Invidiâ Æthnæ instar conflagrat. Sic sit, sine,
Sic ipse sum. At quid illa mea Philargyra
Luti custos agit? mirum ni æs illud etiam gestiet.
Et illa dormit. Aurum ego servabo interim.
Sed proh! quid è lecto exsilit? surripiam ego hoc.

ACTVS V. SCENA IV.

PHILARGYRA. BELIAL.

DIvi vestrã fidem, aurum meum ubi est? hiccine est,
Ubi defodi? BE. Dixine aurũ hãc servare? commodè
Eam ludam. PHI. Deus, ô Deus bone, hic fur est; tene,
Tene furem! tene, quis? quem? heus tu ubi es, redde hoc
mihi. Hoi!

Hoi! hoi! Si me nunc suspendam, operam luserim,
Ac restim sumti fecerim.
Ridetis! At scelestos esse hic plurimos
Scio; fures, quin redditis? Heus tu, quisquis es,
Meum qui habes, refer modo, non te deferam
Ad tresviros, dummodo reddas. At nemo adest.
Imò hic quis est, concrepuit hic quasi? O meum
Aurum obsecro, qui habet, reddat. Nihil sit; perij,
interij, heu mihi!
Fortassis aliquis ex defunctis manibus
Surripuit. Non patiar. Quisquis tu es, si quis es,
Tibi tuum habe, meum mihi redde. Ubicunq; sis,
Per ego te Deum adjuro, per matrem virginem,
Dei genitricem, per dives omnes, per &
Divas, per superos, inferos, mediioxumos
Tibi impero, ut restituas hoc mihi, quod meum est.
BEL. Basilica est imperatio, decet obsequi.
Pecuniam in loco negligere maximum interdum est lucram.
Restituam huc. PHIL. Iterum quasi ferrum prope hic crepat.
Adjuro vos manes per Deum, per sacra perq; publica,
Æs reddite. BEL. Ducam hanc, ut sacrificet mihi,
Faciam: O quis mortalium est, qui misericors siet,
Qui me miseram animulam de Limbo tartari
Ex purgatorij supplicio eximat? PHI. Deus
Bone! hic sunt manes. BEL. Obsecro te quisquis es
Humanus, abcede à me; piacularis hic
Animula misera est, cui peccata januam

Cæli

Cœli præcludunt; aut unam saltem hostiam,
Tres cereos, tres gallinas niveas, regibus
Tribus, quorum relliquiæ sunt Coloniæ,
In aram sacram deferas, & immoles.
Sic ad cœlum ego beata scandam. PHI. Quisquis es,
Omnia mea amisti hac nocte; tu illa si tenes,
Si animæ vident abstrusa ab hominum sensibus,
Fac mihi indicium, & quod quæris exsequar lubens.
BEL. Vis exsequi? umbram avitam ex Erebo redimere?
O pia, beata virgo! O me beatissimum,
Cum istam mihi progenui neptem! Namq; ego
Avus tuus sum, qui hoc aurum olim repperi
Injurijs; quo peccato in Limbo miser
Distineor atq; crucior. Tu, si nunc mihi
Quæ dixi facies, rem divinam feceris,
Et me ex flamma, teq; & tuam domum è metu
Servabis. O væ, væ, qui in istunc venerint
Locum! Ecce aurum tibi integrum, illic, ubi prius
Erat, reposui. PHI. O misera anima! quodcunq; vis
Faciam tibi. BEL. Atq; ut Missam ter fieri mihi
Cures, Catholicam religionem haud deseras;
Lutheranos homines oderis; &, quod modò
Plutoni pro meo capite solvam, unam mihi
Auri minam huc in lampada tuam ponas, quam mecum hinc feram,
Ut tandem ex Oceano cruciatuum exeam.
O mors! ô mors! cur me fugis? ô utinam liceat emori.
PHI. Et id curavi, & illud, quod tibi relliquum,

Curabo

Curabo. Nilne vis amplius? BEL. Ut sis pia,
Et me sequare. Abeo, ne pœnas pendere
Absentiæ cogar. At tu nisi feceris, si parvula
Mora intercedet, gulam interstringam tibi.
Audin'? PHI. Deus! quam isti impiè docent, qui plà-
nè illud negant
De purgatorio quod sentit Babylonia!
Sed aurum jam auferam hinc mecum in meum lectulum,
Pulvinariq; subjiciam. Atq; ne inde item
Eripiatur, subjiciam pectori meo.
O aurum, quot tibi insidiantur! mortui
Si te appetunt: quàm mox te animam meã amiseram:
Nunc dormiam secura, cum tu mecum eris.
BEL. Condignè hanc habui; Nunc viso quid illa etiam
terræ dea
Babylonia agat. Illi canendus hymnus est,
Nam cum rege meo nuptiàs innupta agit.
Et mihi quoq; brevi cum ipsa fient nuptiæ.
Iò hymenæe hymen iò hymen. Evah, pater
Iò Iacche, tua (Euion!) orgia rectè celebrantur;
vina affluunt.
Euge ô mortales, mactè; sic meminèritis
Mortales esse vos; post mortem nulla erit
Voluptas. Edite, bibite, assiduò ludite.
Ingrediar huc, ubi dormiunt; lepidè meas
Amplexaborq; & lampades oleo meo
Complebo. Intus Babylonia unà cum meo
Diapontio cubat; intrabo ut osculi
Fragrantiam carpam. Vah oscula suavia!

Ut pulcrè

Ut pulcrè dormiunt! Evax! mei omnia
Plena video, rideo, gaudeo, laudoq; omnia.
Ad cæteras stertentes etiam transeo;
Ut illas itidem basiem. Haud rivalis meus
Suis sic sponsis facere potest: non ille eis
Assistere. Et quid homuncio agat ejusmodi?
Viso, quid istæ agant sceleste, adulteræ,
Rivalis familiares, quas si occasio
Sit, ut collo obtorto enecem. Nunc dormiunt,
Nunc fieri æquum est; clam ingrediar. Hei mihi!
hei! fuge,
Fuge hinc, quantum est. Scelestus hic est angelus.

ACTVS V. SCENA V.

RAPHAEL.

HEm scelus! Fugit. Scelestius rerum natura nihil potest
Tenere, quàm auctorem omnis sceleris, dæmonem,
Hostem Jehovæ. Nam nisi Jehovah Zebaoth Deus
Mortalium misertus, nos eis custodes, vindices,
Legaret, haud unum momentum hæc moles integra
Cæli terræq; consisteret; sic ille uti leo
Rugiens, iratus, quæritat, quem devoret.
Miseri, miseri homines! utinam vestra pericula
Sciatis: non homines, non caro vos impetit,
Sed dæmones, mundi principes potentes, celeres Spiritus
Vos circumsultant, cum vos ignari stertitis.
Arma, arma arripite, armati damno obsistite:
Dei verbum gladius fidus est, Fides scutum tutissimum,

Qui tecti

Quà tecti, ſpicula venenata eludere
Scelerati hoſtis poteſtis; ut faces in hac caligine
Collucentes habeatis; queis niſi ſat probè
Inſtructi eſtis, cæci pugnatis, nec ſacri vobis angeli
Quicquam præſidij aut auxilij ferent, victi miſerrimè
Ad Tartarum rapiemini, ubi æternam ſtridore dentium,
Terrore horribili, peragatis ævum: Qui habet
Aures, advertat; nam thalamus Sponſi jam olim exornatus eſt,
Nuptiæ brevi jam fient; Sponſo ornamini.
Sed quid camænarum audio? hymnum quidem hic canunt.
Et Gabrielem video nuncium Dei.

ACTVS V. SCENA VI.

GABRIEL. RAPHAEL.

O quanta, quàm vera gaudia accipient Dei
Lectiſſimæ, quæ Chriſtum amant! quas præſuæ
Vita ipſe præoptavit domum ut eas duceret,
Amore earum potiretur: nunc ſpei meta ultima eſt.
O quod nunc, quàm immortale in cœlis gaudium eſt!
Qui pſalmi ſunt! Laus, gloria, virtus, unico
Agno, cui fiunt nuptiæ. RAPH. Hoc eſt quod dixi.
ibo & Numinis
Unà nomen celebrabo. O exſpectata! ô læta tempora.
GAB. Heus vos: Sponſus de thalamo exit, procedite
Huic obviam. Omnes dormiunt. Spero tamen
Audiſſe. Ac proſiliunt. AC-

ACTVS V. SCENA VII.

CHORVS SPONSARVM.

PRVDENTES: Veni desiderate Jesu, veni
Dulcissime Sponse, duc tuas domum quæ tete tam expe-
O vos sorores, lampades quæquæ suas (tunt.
Accipite, prodeamus ad thalami ostium illicò. HYPSI.
Aures de sponso appetijt. Atq; commodè (Vox meas
Sorores video. Quid sit? Heus quæ dat mihi
Oleum? Heu pol nunc amicæ sitis an magis
Inimicæ, ostendite. Eja Tapeinophrona,
Affunde hùc mihi pauxillum olei, de tuo. Panaletha,
tun' parùm
Dabis? TAP. Minimè, ne nobis & tibi simul
Desit. DYSE. Quid? quod rivalium hic sunt? quid,
malum,
Vos omnes uni nubere velle putatis viro?
Nam, non feram, indicabo ei vos esse adulteras.
Atq; oleum mihi non est, facem exstinctam gero.
Heus, si mecum in cœlo unà vultis vivere,
Date mihi sodes oleum. THEO. Ecce illic institor,
Ite, emite. PHILAR. Hui, meam pecuniam domi
Oblita sum, dotem. Atq; lampada haud gero. Ac si
maximè
Geram, oleum me destituit. Perij! video Babyloniam,
Illa dabit. BA. Perij! nuda sum, induere haud queo,
Neq; exornare. Heus vos, ubi est mea fax? cedò
Oleum illicò effer Mysia. PHIL. Occidi! neque hæc

Habet. Quin Dyseris mihi obviam cum Hypsiphile venit.
Date, obsecro, mihi oleum. DYS. Nec si habeam tibi
Dem, nec habeo. Non plures quæ velint me exponere
Adsunt? BABY. Quin effers Mysia
Oleum? findor! sacrilega exi. Ipsa irrumpam atque
efferam.
MISOP. Ancilla, incende lumen; lampada apparа
Mihi, ut sponso meo obviam eam; vestes cedò,
Ubi es? hei nemo est? obsecro, quin pessumæ
Adestis? Surgam. Ah! caput dolet; non nos die
Sponsus vocare debuisset? nunc vocat,
Quietem ut interturbet noctu. At hei mihi!
Oleum hic nullum est. Sorores video; orabo ut quid
dent: O meæ
Vos, oleo destituor; date amabo. THEO. Obsecrò
Omnes oleo caretis? ite, emite. BABY. Occidi!
Vix vas arripui inane. Sorores optimæ,
Ecquæ mihi dat, ne cæca eam? PANAL. Imò ne
simul
Vos nosq; cæcæ eamus; tuq; atq; cæteræ
Ite, emite oleum. BABY. Ita verò decet?
Sed ubi quæso institor? MIS. Nos miseras! hîc solet
Habitare aliquis. BABY. Pulta obsecro: Heus, heus
ecquis est?
Aperite hoc; oleum vendite. Tardi sunt. Perij!
quò magis
Festines, hoc magis remorarum ubique habes.

ACTVS

ACTVS V. SCENA VIII.

SPONSVS. VIRGINES PRVDENTES.

Adeste vos benedictæ, quas sponsus sibi
Delegit; quæ sponsum exspectastis sedulò.
Intrate in thalamum, qui vobis paratus est
Priùs quàm mundus conderetur. VIRG. Tuam fidem,
Jesu sanctissime! tuæ sumus, tuum opus.
SPON. Amo vos. Ingredimini mecum ad nuptias.

ACTVS V. SCENA IX.

ASMODÆVS. BELIAL. BABYLONIA. HYPSIPHILE. DYSERIS. MISOPONA. PHILARGYRA. DIABOLVS. DÆMON. ASBOLVS. MYSIA. OENOIRIA. DIAPONTIVS. SATELLITES.

Beelzebut te perdat, sceleratissime,
Qui non è manibus excussisti lampades
Istis veneficis, quæ accersitæ sunt ad nuptias.
Ubi cæteræ? BEL. Quid me, malum,
Accusas? tute cur non fecisti? ASMO. Disrumpor hunc bolum
Ereptum tam subitò nobis. Cave cæteræ
Tibi eximantur. BEL. Quæ meæ pridem sunt.
Atque eccas tibi,
Hem observa, adeunt. ASM. Tace; hæ quidem haud excesserint.

BA.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn880291877/phys_0101

BABY. Ubi nunc aliæ? mirum nisi jam intrò admissæ in sponsi thorum.
Venite; & nos pulsabimus. DYS. Si illas sciam
In cœlis esse, ego nolim in cœlis vivere.
CHOR. VIRG. Heus, heus, Domine tuæ adsumus
Dilectæ; cur non intrò jubes accersier?
O Domine, audin' tuas, quæ te dileximus?
Quæ per te magna, quæ te celebrem, fecimus?
ASMO. Nunc parti nostræ vereor, quid his respondeat.
SPONS. Quæ vos, aut quibus abs gentium? discedite,
Ego vos haud novi. ASMO. Hem restitas, scelestè, ubi
Alij? Huc adeste vos sponsi optati, sponsas optatas domum
Ducemus. BABY. Prodit. O sponse dilectissime,
Quin nos intrò ducis? tecum volumus lepidè vitam degere,
Tuæ erimus. BEL. Herclè olim mea es.
Aliæ suos reperient. BAB. Jesu! ô Jesu! fer tuis opem!
Quid hoc hominum? DYS. Mitte me, non es Sponsus meus.
ASMO. Sum; deosculare me, mea pulcra amœnitas.
HYPS. O nos miserrimas! quis nos ab hoc malo
Servabit! O Jesu Christe. DIAB. Nihil tais, huc nobiscum ambula.
PHILAR. Aurum hoc cape ac me amitte. DÆM. Tantò acceptior
Mihi es,

Mihi es, quæ dotem fers. MISO. Obsecro. O væ, væ, æternum væ! ASB. Ita canis
Hymenæum? MYSIA. Move ocius tu Oenotria; Ornamenta heram scio
Exspectare. OEN. Moveo. MYSI. Parum tamen promoves.
DIAB. Eccillas, famulam, anumq;. OEN. Vah! caput dolet.
Nondum villum edormivi. ASB. Huc me[illegible] anus. OEN. Abcede Spiritus
Impure, fuge, tibi impero per virginem
Beatam, abcede. ASB. Accede tu, mecum i. OEN. Væ, væ! MYSI. Væ væ mihi!
DIAPON. Dico, edico vobis, servuli,
Nisi huic adultero lumbos defringitis,
Qui à me meam avocavit Babyloniam,
Periistis. At quid hoc? quis hic? abi scelus,
Fugin? ASMO. Tua sum Babylonia, veni cubitum ibimus.
DIAP. Malè sit tibi. ASM. Id tibi mox erit. veni. DIAP. Fugin'?
ASM. Imò tu mecum. DIAP. Væ, væ, væ! adeste satellites.
SATEL. Quid hoc clamoris? DÆM. Et vos unà ad inferos.
SATEL. O Væ, væ! DÆM. Sic Dionysia mox non concinebatis. Rape,
Abripite ad orcum. Pandite, heus, date inferos

Hiantes.

Hiantes. Hos ad flammas rapite, trudite.
Nunc omnes istos scortatores huc conquiram cæteros,
Ut militem, mercatorem, monachum, omnesq; Babylonicæ
Factionis. Date viam, nisi unà vultis vos item rapi.

ACTVS V. SCENA X.


CHORVS ANGELORVM.

Salus, honos, & gloria
Nostro Jehovæ Zebaoth,
Qui justa, recta, judicat.
Iò! canamus gaudia!
Iò! Quia agni nuptias
Læto celebramus Deo.
Illius uxor splendidè
Ornata prodit; cui datum est,
Byssо atq; purpura indui.
O ter quaterq; plurimum
Estis beati, quos pater

Invi-

Invitat agni ad nuptias!
At ista Babylon ardua
Tristi ruinâ corruit:
Non ipsa, nec qui principes
Cum ipsa cubent, unquã manent.
Sic innocentem sanguinem
Gentis suæ nunc vindicat
Ab impia manu Deus.
Salus, honos, virtus Deo
Qui justa recta vindicat.
Nunc regna mundi sunt Dei
Ejusq; Christi in secula.
Cui quotquot estis, Plaudite.

Θεῷ δόξα.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn880291877/phys_0108

Miseræ, quid ergo consilij capimus? omnia
Odium sumus; certa mors manet.
Nec relliquæ sorti Hypsiphile quidem adhuc
Nobiscum faciet m postea
Nisi monstrorum sapientia
Ista elata: ubi profunda scandere,
Mysteria sacrosa re, quæq; plurima
Horrenda, tent. : mavult simultatis suæ
Quàm Deo auscu ire Ecclesiæ.
Misopona pigrit ncordia, occantans: quasi
Pax esse filijs Belialis filijs,
Cœlumve terræ erò virgini ac lupæ
Mores divortun iserrimæ,
Nisi satis prospici oramus, sumus.
Quare etiam a bsecro
Sorores per amic mnem Christum, atten-
Hoc agite, quò ic malo. In (dite,
Commune consu undum fiet.
Dic ergò Dyseri ? quid tu nobis autor es ?
DYS. Ego, soro ultis, bonâ fide
Illud, quod assi suadeo:
Capiti nostro o s veræ & antiquissimæ
Est religio fide atribus
Et Apostolis acc nos respuamus, non queo
Videre. THE. T um existimas ?
Theses blasphem Fidem, Deũ, sacra omnia
Sic deserenda ? m, Deum, sacra ?
THE. Dicam, q d tu Panaletha dic
Tuam sententia quod in rem nostram sit.
Sed

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 033
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
UB Rostock 05.15000
the scale towards documen

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn880291877/phys_0109